




J.P.P.  
P.A.M.


519












JC 19

EDIMENTUM  
BR VIARII  
APPAMIE SIS.



SUPPLEMENTUM  
BREVIARII  
APPAMIENSIS.


БРЯНСКИЙ  
БРАВАИ  
БРИГАДА

PAT 18P020

# SUPPLEMENTUM BREVARII APPAMIENSIS,

IN QUO CONTINENTUR CALENDARIUM  
GREGORIANUM, RUBRICÆ GENERALES  
BREVARII, ET COMMUNE PATRONORUM PRO-  
IPSORUM DIE FESTO ET OCTAVA,

*Illusterrimi & Reverendissimi in Christo Patris  
DD. HENRICI GASTONIS DE LEVIS,  
Episcopi Appamiensis, autoritate, necnon  
venerabilis ejusdem Capituli consensu, editum.*



*P A R I S I S ,*

Typis CL. SIMON, Illustrissimi DD. Archiepiscopi  
Parisiensis Typographi, viâ San-Jacobæa.

---

*M. D C C. LXXXI.*

SUPPLEMENTUM  
BREVARII  
APPALACHIAE

In quo continentur Canonum illorum  
GREGORIANUM, RURICUM, ORIENTALE  
MISERICORDIAE, COMITOKONUM, ET  
HABITUM DE PASTORIBUS OLYMPIA  
MAGISTERIUS, ET SURNOMEN, CIVICIS, PECUNIIS  
DE REBUS CIVICIS, CARLOTONIS, DE TERRIS  
ALLEGORIAS, ET HISTORIAS, ET ALIAS  
CONTINENTUR, Quidam quodcumque



PARVUS.

Ex Libr. Com. Mon. M. L. V. 1700. Accep. 1700  
Thes. Com. Mon. M. L. V. 1700. Accep. 1700

EX LIBRIS MONS.

# MONITUM.

**H**O C in Supplemento ordinantur Octavae Festorum quæ proprium non habent Officium approbatum.

1º. Prescribitur Ritus servandus tam in Feste principali Patroni primarii, seu Titularis, quam per ejus Octavam.

2º. Subsequuntur quædam Officia Festorum quorumdam præcipuorum, quæ in Ecclesiis Diœcesis Ritu Solemni Majori aut Annuali celebrari possunt, sive Titularia sunt, sive de licentia D. D. Episcopi solemniter agantur; unâ cum Lectionibus tam ipso Die quam per Octavam, si habeant, recitandis: quæ disposita sunt juxta ordinem Proprii, vel de Tempore, vel de Sanctis.

3º. Demum habentur pro uno quoque Communi Lectio- nes iis Festis convenientes, quæ proprias, sive in Breviario, sive hoc in ipso Octavario positas non ha- bent.

4º. His in Festis ac per eorum Octavas serventur Rubrica generales Breviarii.

5º. Si quædam Ecclesia proprium sibi ordinaverint pro Patrono aut alio Sancto Officium, eo non utantur sive privatim, sive publicè quin priùs à D. D. Episcopo licentiam illius decantandi aut recitandi, obtinuerint,

**I**dem erit de Lectionibus talium Festorum quantumvis ab antiquo iis in Ecclesiis fuerint recitate.

**6°.** Notandum quod Ecclesia, quae pro Patronis habent Santos de quibus in Breviario plura Festa aguntur, horum Festorum primarium duntaxat Ritu Annuali celebrare debeant, reliqua vero Ritu Duplici-Majori.  
**v. g.** In Ecclesiis sub S. Petri invocatione dedicatis, Festum illius 29 Junii erit Annuale; Festa vero Cathedra, 18 Januarii, & S. Petri ad Vincula, 1. Augusti, erunt Duplicia-Majora.

**7°.** Cum contingere possit aliquam Ecclesiam dedicari, hic insertum est Officium ipso die Dedicationis decantandum.

**8°.** In gratiam Ecclesiarum quae Festa quadam B. Mariae Virginis, ex licentia D. D. Episcopi celebrant, de quibus in Breviario nihil reperitur; hic habetur Officium peculiare in hujusmodi Festis recitandum.

# CALENDARIUM GREGORIANUM PERPETUUM.

*CALENDARIUM est annorum, mensium dierumque distributio religiosis & politicis hominum usibus accommodata.*

## CAPUT PRIMUM.

*De Anno & ejus partibus.*

**A**NNUS solaris Astronomicus est spatium temporis quo sol proprio motu totum Zodiaccum percurrit ab occasu in ortum, initio sumpto ab aliquo puncto certo, ut à principio Arietis, donec ad idem revertatur. Quod quidem temporis spatium præter dies 365 integrlos, complectitur 5 horas & insuper aliquot horæ minuta, hoc est ferè 6 horas.

Civilis annus ex diebus tantum integris constat, neglectis horis horarumque fragmentis, quorum supputatio neque in Calendario disponi potest, neque ad commercia aliaque negotia civilia peragenda, vel ad dies festos colendos, sacrasque Ecclesiæ ceremonias ritè obeundas, est idonea & accommodata. Hinc fit ut in primo anno civili ad annum astronomicum ex-

plendum desint horæ 5; in secundo 12; in tertio 18; in quarto 24, quæ unum diem naturalem constituant, qui, quoniam ex Julii Cæsaris instituto ad sextum Calendas Martii (24 Februarii) in Calendario inseritur, sumptâ ab eo die denominatione Bissexturn appellatur: annus autem, cui ille adjicitur, Bissextilis, dies 366 continet, cum alii anni communes diebus solum 365 componantur.

Is annus in 12 menses dividitur omnibus notos, itemque in 7 dietum periodos seu Hebdomadas 52, & diem unum vel duos: dies in horas 24; hora in minuta prima 60; minutum primum in 60 secunda; secundum in 60 tertia; tertium in 60 quarta, & sic porrò.

Lunatio seu mensis lunaris secundum medium cursum, hoc

est intervallum temporis ab uno novilunio ad aliud, complectitur dies 29, horas 12 minuta 44, cum paucis minoribus fragmentis. Quoniam vero in Calendario nec fragmenta illa, nec horae ipsae describi possunt, sic in eo disponuntur lunationes ut alternis continant dies 30 & 29. Ita enim sit ut 12 horas quae antecedenti lunationi 30 dieum plus aequo tribuantur, insequens lunatio 29 dierum au-

ferat, duæque lunationes completantur dies 59: duodecim autem menses lunares dierum alternis 30 & 29, dies 354 amplectentes, annum lunarem communem constituant, anno solarii communidiem 365, diebus 14 minorem. Horæ porro & minora fragmenta quæ sic negligi videntur, per dies tamen Bissexiles, qui in Calendario non describuntur, bellissime compensantur.

## C A P U T I I<sup>um</sup>.

### *De veteris Calendarii defectibus.*

**C**UM sacrosanctum Christia-norum Pascha (1) ex quo ceteræ pleræque solemnitates pendent) ex sanctissimorum Patrum, qui Nicæam ad Concilium convenerunt decreto, celebrati debeat à decimâ quartâ die lunæ usque ad vigesimam primam primi mensis, ea vero sit decima quarta luna primi mensis quæ in æquinoctium vernum incurrit, aut illud proximè sequitur; permagni interesse illi Patres censuerunt tum æquinoctio, tum decimæ quartæ lunæ certos ac definitos dies in Calendario designati; ne, quod sæpè ante contigerat, discordia deinceps aliqua in eo celebrando, aut dissensio posset existere. Et quidem æquinoctii sedes ad xij Calendas Aprilis (21 Martii) collocata, & constituta est, quam fore stabilem & certam prope-

modum sibi persuaserunt. Decimam quartam vero lunam, ex Aureo, ut vocant, Numero, qui Calendario aptatus fuit, perpetuò ac facile inveniri posse prisci Patres crediderunt.

Verum æquinoctium locum suum non facile tenuit, sed statione desertâ, incertis passibus, ad antè diem quintum jam aut etiam sextum Idū Martii (11 vel 10 Mart.) errans usque pervenerat Gregorii xij temporibus. Cui errori nisi mature obiam itum fuisset, ad id tempus quo nunc bruma conficitur, accessisset aliquando, neque tamen ibi fuisset terminus constitutus, quin in infinitum procederet.... Decima quarta vero luna ab illo Aureo Numero ita discrepabat, ut cum secuti non jam ab eâ ad vigesiman primam, sed frequenter contra Majorum instituta, ad vigesi-

(1) Compend. novæ rat. restit. Calend.

nam sextam lunam Pascha celebrarent; serpissitque obscurè hoc malum, & manasset latius in dies, nisi necessaria aliquando medicina fuisset adhibita.

Atque ea quidem jam indè à fel. record. Nicolao V.... magnâ summorum Pontificum curâ atque studio tentata est; sed nihil constitui posse videbatur, quod non in magnam aliquam difficultatem incurreret.

Nam quod ad astrologiam attinet, duæ potissimum res obstatæ atque officere videbantur. Primum ipsius anni vertentis iusta certaque mensura, quæ quoniam à doctissimis atque diligenter Mathematicis, diversis temporibus, alia atque alia reperta est, non eadem semperque sui similis esse convincitur. Cùm ergo sol tam vagâ, & mutabili ratione labatur, difficilimum factu erat intercalationes ita dispensare, ut æquinoctia ævo perpetuo certas ac fixas habeant in Calendario sedes; cùm à Julio Cæsare qui primus hanc anni formiam, & intercalandi rationem induxit, usque ad medium seculi decimi sexti, tredecim aut eo amplius dies constitutam tunc sedem antecessissent....

Alterum quod restituendo Calendario, verèque Paschatis rationi tradendæ impedimentum afferre videbatur, illud est, quod nullus Cyclus decennino-

vallis reperiebatur, qui Calendario appositus, præstare posset ut iidem numeri perpetuè novam lunam, atque ex eâ decimam quartam Paschalem ostenderent: idque eâ ratione quod luna, non ut antiqui illi existimaverunt, confessis suis cursibus, decem & novem annorum numero ad idem caputa refertur, ut per eadem vestigia penitus revolvatur: sed ut ab aliis subtilius investigatum, & deprehensum est, suos orbes conversionesque sic moderatur & conficit, ut trecentorum & aliquid amplius annorum spatio, à locis novæ lunæ in Calendario designatis, unius penè diei spatio discordet; atque inde effectum erat ut quatuor jām & eo amplius dies Aureus ille Numerus, à veris locis fuisset evagatus, &, ut antè diximus, Pascha aliquando vigesimâ sextâ lunâ, non sine piorum hominum dolore, malevolorumque irrisione celebraretur. Cùm ergo propter hunc motum lunæ in 300 annis unus sine intercalatione transigi debeat; propter illum autem alterum solis, eodem annorum spatio aliquando ter, aliquando vero bis omnino debeat intercalatio omitti; non potuit ullus Aureus Numerus ita his duabus æquationibus inservire, ut loca novæ lunæ paucis seculis non plurimum discrepant....

C A P U T III<sup>um</sup>.*De Calendarii Correctione Gregorianâ.*

**Q**UOD (1) jamdiū à Romanis Pontificibus & sēpius tentatum , ad exitum perduci non potuerat , illud tandem feliciter absolvit Gregorius XIII. Dum enim is in hāc cogitatione curāque versaretur , allatus est illi ab Antonio Lilio attium & medicinæ doctore liber quem quondam Aloysius ejus germanus frater conscriperat , & qui neque incommodam , neque difficultem viam , & rationem ejus rei perficiendæ proponere videbatur.

Nam quod ad restitutionem (2) æquinoctiorum attinet , proponit sibi libelli hujus Auctor anni Alfonsini mensuram , quæ inter varias media est , atque ideo errori minus obnoxia ; ex quā subductis calculis efficitur , ut in annis plus minus 134 , æquinoctiorum loca integrum antevertant diem , & in annis 402 tres dies . Quo posito , hos tredecim dies , quos superiùs diximus , seu , quod magis existimabat esse ex Ecclesiasticâ dignitate , decem illos qui à tempore Nicæni Concilii excreverant , eximendos censebat . Atque ita reducto æquinoctio verno ad xij Calend. April. quo loco in eo Concilio fuit constitutum , in omne posterum tempus hanc intercalandi rationem instituit , ut centesimi qui-

que anni , qui intercalares omnes esse solebant , ab eo tempore non omnes , sed tres primi quique communes , quartus verò quisque intercalaris esset . Ita ut annis 1700 , 1800 , & 1900 nullus intercalaretur dies , bis millesimo verò anno , usitato & consueto more intercalaretur : atque eodem modo reliquis qui deinceps consequentur annis . . .

Quod verò spectat ad novi luniorum in Calendario indicationem , ille item Auctor , per novum quendam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum , & ad certam ipsius Aurei Numeri normam directum , atque ad quacumque anni magnitudinem accommodatum , omnia quæ in Calendario collapsa erant , constanti ratione & seculis omnibus duraturā , sic restitui posse ostendit , certis temporibus æquatione adhibitā , ut Calendarium ipsum nulli unquam mutationi in posterum expositum esse videatur . Æquationis autem hujus rationem & modum exponemus inferiùs .

Novam hanc restituendi Calendarii rationem , exiguo volumine comprehensam , ad Christianos Principes , celeberrimasque Universitates misit anno 1577 Gregorius XIII : ut res quæ omnium communis est , inquit summus ille

(1) Bulla Greg. XIII. sext. Cal. Mart. 1581.

(2) Compend. nov. rat. restit. Calend.

Pontifex in Bullâ sexto Calend. Martii 1581 datâ, communis omnium consilio persiceretur. Illi, pergit idem, cùm, quæ maximè optabamus, concordes respondissent, eorum nos omnium consensione adducti, viros ad Calendarii emendationem adhibuimus in almâ Urbe harum rerum peritissimos, quos longè antè ex primariis Christiani orbis nationibus delegera mus. Ii, cùm multum temporis & diligentiae ad eam lucubrationem adhibuissent, & Cyclos tam veterum quam recentiorum undique conquisitos ac diligentissimè perpensos inter se contulissent, suo & doctorum hominum qui de eâ rescripsierunt judicio, hunc præcererunt elegerunt Epactatum Cyclum, cui nonnulla etiam adjecerunt quæ ex accuratâ circumspectione visa sunt ad Calendarii perfectionem maximè pertinere.

Considerantes igitur nos, subdit Gregorius, ad rectam Paschalis festi celebrationem juxta SS. Patrum & veterum Romanorum Pontificum, præsertim Pii & Victoris primorum, necnon magni illius cœcumenici Concilii Nicæni, & aliorum sanctiones, tria necessaria conjungenda & statuenda esse; primum certam verni æquinoctii sedem; deinde rectam positionem decima quartæ lunæ prioris mensis, quæ vel in ipsum æquinoctii diem incidit, vel ei proximè succedit; postremò pri-

mum quemque diem Dominicum qui eamdem decimam quartam lunam sequitur: curavimus non solum æquinoctium vernum in pristinam sedem, à quâ jam à Concilio Nicæno decem circiter dies recessit, restituendum, & decimam quartam Paschalē suo in loco, à quo quatuor & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam; sed viam quoque tradendam & rationem quâ caveatur ut in posterum æquinoctium & decima quarta luna à propriis sedibus nunquam dimoveantur.

Quod igitur vernum æquinoctium, quod à Patibus Nicæni Concilii ad xij Calendas Aprilis fuit constitutum, ad eamdem sedem restituatur, præcipimus & mandamus ut de mense Octobri anni 1582 decem dies inclusivè à tertio nonarum, usque ad pridiè idūs (à 5 ad 14) eximantur, & dies qui festum sancti Francisci, iv nonas celebrari solitum sequitur, dicitur (1) Idus Octobris (15 Oct.).

Deinde ne in posterum à xij Cal. April. æquinoctium recedat, statuimus Bissexturnum quarto quoque anno, ut mos est, continuari debere, præterquam in centesimis annis, qui quamvis bissextilles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum 1600, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi non omnes bissextilles sint, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transgantur, quartus vero quisque

(1) Parisis vero & in torâ Galliâ eodem anno 1582 decem ejusmodi dies detracti sunt à mense Decembri, à nono die videlicet exclusivè ad vigesimum pariter exclusivè; ita ut qui decimus futurus erat mensis dies, vigesimus sit dictus.

centesimus Bissextilis sit, ita ut anni 1700, 1800, 1900 Bissextilis non sint, anno vero 1000 more consueto dies Bissextilus intercalatur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextilum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo observetur.

Quod item xiv.<sup>a</sup> Paschalis recte inveniatur, itemque dies lunæ juxta antiquum Ecclesiæ morem ex Martyrologio singulis diebus ediscendi fidi populo verè proponantur, statuimus ut amoto Aureo Numero de Calendario, in ejus locum substituatur Cyclus Epactarum, qui ad certam, ut diximus, Aurei Numeri normam directus efficit ut novilunia & xiv.<sup>a</sup> Paschalis vera loca semper retineant. Idque manifestè apparet ex nostri ex-

plicatione Calendarii, in quo descriptæ sunt etiam Tabulae Paschales secundum priscum Ecclesiæ ritum, quod certius & facilius sacrosanctum Pascha inveniri possit.

Tollimus autem & abolemus omnino vetus Calendarium, Volumus que ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Abbes & cæteri ecclesiistarum Praesides novum Calendarium, ad quod etiam accommodata est ratio Martyrologii, pro divinis officiis recitandis, & festis celebrandis, in suas quisque Ecclesiæ, Monasteria, Conventus, Ordines, Militias, & Diceceses introducant, & eo utantur tam ipsi quam cæteri omnes Presbyteri, & Clerici sacerulares & regulares utriusque sexus, necnon Milites, & omnes Christi Fideles... Haec tenet Greg. XIII.

## C A P U T I V<sup>um</sup>.

### *De Cyclo decemnovennali Aurei Numeri.*

**C**YCLUS in genere est series numerorum, annorum, mensium, vel dierum certo a statu ordine procedentium, peractaque quilibet revolutione eodem ordine recurrentium; hinc nomen Cycli, hoc est circuli.

Cyclus autem decemnovennalis Aurei Numeri (1), propter eximiam sui utilitatem sic dicti, & quem etiam lunarem nuncupant, est revolutio numeri annorum 19 ab 1 usque ad 19, quâ revolutione per-

actâ, iterum ad unitatem reditur. V. G. anno 1767 Numerus cycli decemnovennalis qui dicitur Aureus, fuit 1, anno sequenti 1768 fuit 2, & ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius, usque ad 19 qui Numerus Aureus cadit in annum 1785, post quem iterum ad unitatem redeundum erit, ita ut anno 1786 Aureus Numerus sit iterum 1, anno 1787 sit 2, & sic in perpetuum.... Cùm (2) enim

(1) Canones in Cal. Greg. Can. 1.

(2) Clav. cap. 9. n. 1,

comperissent veteres novilunia transactis 19 annis, (quō temporis intervallo 235 lunationes perficiuntur,) ad eosdem mensum dies reverti, descripserunt in Calendario totidem numeros ab 1. usque ad 19, juxta eos mensum dies, in quibus quolibet annorum 19 spatio novilunia contingebant. Numerum ergo 1. illis præfixerunt mensum diebus, quibus durante primo cycli anno novilunia contingebant, & numerum 2 illis diebus quibus siebant secundo cycli anno novilunia, & sic de ceteris. Quā tamen in re diligenter observarunt ut lunationes essent aternis 30 & 29 dierum, & ut novilunia unius anni prævenient antecedentis anni novilunia plerunque 11 diebus, propter illos 11 dies quibus annus solaris communis dierum 365 annum commune lunarem dieum 354 superat. Atque hoc Cyclo decemnovennali Aurei Numeri per dies Calendarii (1) distributo (in quo tamen 130 sedes vacuas relinquebat, nec occupabat nisi 235 dies, quot scilicet in annis 19 novilunia continentur), Ecclesia Romana olim & usque ad annum 1582 usum rum ad conjunctiones solis ac lunæ inquirendas, tum verò maximè ad inveniendum diem festum Paschæ, & ad indaganda alia festa mobilia: propterea quod veteres putabant novilunia, transacto spatio 19 annorum solarium, ad eundem prorsus diem eandemque horam redire; quod verum non est, cum novilunia paulò citius

quam spatium 19 annorum solarium compieatur, ad eundem locum redeant. Nam anni 19 solares, si cuilibet ex Julii Cæsaris institutione (2) tribuas 365 dies cum 6 horis, continent dies 6939 & horas 18. Lunationes vero 235, si dierum singulae 29, horarum 11, & 44' 3" 10" 48" ex Gregorianorum Correctorum hypothesi supponantur, dies complectuntur 6939 & horas insuper 16 duntaxat cum 32' 27" 18". Ex quo fit ut luna sedes in Calendario constitutas quolibet 19 annorum spatio anteverta hora unā & ferè dimidiā, hoc est hora 1 cum 27' 32" 41"; & in 76 annis sive quatuor decemnovennalibus Cyclis, easdem sedes 5 horis, 50' 10" 44" anticipet; & 23 horis ac 59' 52" 49" in annis 312  $\frac{1}{2}$ , ac tandem die integro in 312  $\frac{1}{2}$  annis, diebus 23 & horis 17; ac proindè diebus 8 in annis 2500 & paucis mensibus. Indè autem sequitur nullam esse in anno diem in quam non beat successu temporis novilunium aliquod incidere, atque adeò ad indicanda novilunia inutilem in posterum, quin & ineptum futurum esse Aureum Numerum, nisi in 30 ordinis redigatur, hoc est, nisi 30 Calendaria construantur, ut ex illis feligitur semper illud quod certo cuidam temporis congruit: quae res quantum incommodi efficit allatura, nemo non videt. Hoc incommodum ut vitetur substitutus est in locum Aurei Numeri, in Calendario (3) Cyclo Epactarum constans 30 nume-

(1) Can. i. in Cal. Greg.

(2) Clav. cap. 8. n. 4.

(3) Can. i. in Cal. Greg.

is Epactalibus, qui quidem nihil aliud est quam Cyclus decemnovennalis Aurei Numeri aequatus, ita ut sit instar Aurei Numeri in 30 Calendaria, de quibus dictum est, distributi. Auro vero numero utemur in posterum, non quidem ad novilunia, & festa mobilia inquirenda, ut ante factum est; sed solum ad investigandam Epactam cuiuslibet anni, ex qua & novilunia, & festa mobilia deinde repetiantur, ut in sequenti Capite docebimus. Quilibet vero annus Aurei Numeri terminatur in fine mensis Decembri, & in principio Januarii anni sequentis initium sumit alius Aurei Numeri annus.

Igitur ut Aureus Numerus quolibet anno proposito currens inventatur, composita est sequens tabula I. Aurei Numeri perpetua, quae ipsum Cyclum decemnovennalem exhibet, initiumque sumit ab eo anno qui annum aeris vulgaris primum immediatè precessit.

Tabulae hujus talis est usus. Quoniam annus primum aeris vulgaris annum immediatè praecedens, fuit primus Cycli decemnovennalis tunc currentis annus, ac proinde primus annus aeris vulgaris fuit Cycli ejusdem decemnovennalis 2. us, anno illi aeris vulgaris 1.º tribuarut secunda praesentis Tabulae cellula, anno 2.º cellula tertia, anno 3.º cellula quarta, & ita deinceps in infinitum, donec ad annum cuius Aureum Numerum queris, perveniat, redeundo ad principium Tabulae, quotiescumque eam percurreris: nam cellula in quam annus propositus cadet, dabit Aureum Numerum quæsumum.

Sed quoniam valde laboriosum est ac molestum tot annos in dictâ Tabellâ enumerare, eamque toties repetere, donec ad annum cuius Aureus Numerus queritur, perveniat, praesertim si is sit ab initio aeris vulgaris remotior; constructa est alia Aurei Numeri Tabula pro annis tantum centesimis, pariter perpetua; in qua penes unumquemque annum centesimum inscribitur Aureus Numerus centesimo illi congruens, qui & competit annis post eum lem centesimum 19, 38, 57, 76 & 95.

Si ergo propositus annus sit ex centesimis aliquis, Numerus ejus Aureus statim ex ipsâ Tabulâ II à innoteſcat. Si autem is non sit centesimus, queratur in eadem II. à Tabulâ centesimus annus ipsum proxime praecedens, noteturque Aureus Numerus centesimo illi congruens, qui, ut diximus, competit & annis post centesimum cumdem 19, 38, 57, 76 & 95. Anni post centesim. 19, 38, 57, 76 & 95.

Tab. I.	Aurei Numeri
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	

I. illâ Tabulâ quæratur cellula similem Aureum Numerum continens, illique cellulæ tribuatur is annus centesimus, sequenti autem cellulæ annus 1 post centesimum, & sic successivè, donec ad annum propositum perveneris; cellula enim in quam ille cediderit, Aureum ejus Numerum exhibebit. Sit V. G. inveniens Aureus Numerus anni 1782. Quoniam in Tabulâ IIâ anno 1700 congruit Aureus Numerus 10, idemque proinde competit annis 1719, 1738, 1757, 1776, quære in tabulâ Iâ euidentem illum numerum 10, in cuius cellulâ numera annum 1776, tum in sequenti cellulâ 11 annum 1777; in cellulâ 12 annum 1778, &c sic deinceps: annus 1782 cadet in cellulam 16, qui Aureus est anni hujus Numerus.

Facillimè quoque per præcepta Arithmetices Aureus Numerus cujuslibet anni in perpetuum reperietur hoc modo. Quoniam anno primum æræ vulgaris annum præcedenti Aureus 1 Numerus competit, proposito cuiilibet æræ hujus anno addatur 1, & numerus indè compositus per 19 dividatur; numerus qui ex divisione relinquitur, erit Aureus Numerus quæsusitus; si nihil ex divisione remaneat, Aureus Numerus erit 19. Quotiens ostendit quot revolutiones hujus Cycli ab initio æræ vulgaris sint pœcta.

## T A B U L A II.

Num. Aut.	Anni centesimi.	
1	0	1900
6	100	2000
11	200	2100
16	300	2200
2	400	2300
7	500	2400
12	600	2500
17	700	2600
3	800	2700
8	900	2800
13	1000	2900
18	1100	3000
4	1200	3100
9	1300	3200
14	1400	&c.
19	1500	
5	1600	
10	1700	
15	1800	

Auri  
Numeri.

C A P U T V<sup>um.</sup>*De Epactis & Noviluniis.*

**E**PACTA nihil aliud est quam numerus dierum quibus annus solaris <sup>1</sup> communis dietum 365 annum communem lunarem dierum 354, seu duodecim lunationum dies alternatim 30 & 29 complecentium, superat; & subinde est numerus dierum qui in mense Decembri post completam ultimam anni lunationi supersunt: ita ut si supponatur novilunium contigisse die 1 Januarii, ac utrumque annum solarem scilicet & lunare simul incepisse, Epacta in fine priimi anni sit 11, cum hoc dierum numero annus solaris communis lunarem annum communem excedat, atque adeo sequenti anno novilunia contingant 11 diebus prius quam anno primo. Ex quo sit Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursus annus solaris lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad undecim dies primi anni efficiunt 22, ac proinde finito hoc anno novilunia contingere 22 diebus prius quam anno proximo: Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur numerus 33, a quo si tejificantur triginta dies, qui unam lunam embolismalem seu adiectitiam constituant, relinquentur 3 atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactae om-

nes per continuum augmentu<sup>m</sup> 11 dierum, abjectis tamen 30 quando rejici possunt, ut ex iis lunatio embolismica anno superaddenda componatur. Solùm quando perventum est ad ultimam Epactam Numero Aureo 19 respondentem, quæ in facta suppositione est 29, adduntur 12, ut ex composito numero 41 abjectis 30 habeatur rursus Epacta 11, ut in principio. Quod ideo sit ut ultima lunatio embolismica, currente Aureo Numero 19, sit tantum 29 dierum: si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex lunationes embolismicæ (quæ videlicet annis 3, 6, 9, 11, 14, 17 adjiciuntur) non redirent novilunia, post 19 annos solares, ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingentesque uno die tardius quam ante 19 annos. Ultima autem illa embolismica lunatio non nisi 29 dies continet, et si fiat ut ceteræ sex, per abjectionem 30; non enim abjiciuntur 30, nisi postquam adjecta sunt 12, cum tamen annus solatis 11 tantum diebus lunare superet.

Erant autem olim novemdecim Epactæ, quot & Aurei Numeri, respondebantque ipsis Aureis Numeris antè Calendarii correctionem eo modo quo

(1) Cab. Greg. Can. 2.

In hac Tabellâ dispositæ sunt.

Quia verò Cyclus decemno-  
vennalis Aurei Numeri imper-  
fectus est, cùm novilunia post  
29 annos solares non præcisè  
ad eadem loca redeant, ut dic-  
tum est, imperfectus etiam erit  
seu insufficiens hic Cyclus 19  
Epaëtatum. Quam ob rem is  
ita emendatus est, ut in pos-  
terum loco Aurei Numeri, &  
dictarum 19 Epaëtarum, uta-  
mur 30 numeris Epaëtalibus ab  
1 usque ad 30 progradientibus,  
quamvis ultima Epaëta, sive  
quæ ordine est trigesima, nota-  
ta numero non sit, sed signo  
hoc \* seu asterisco, propterea  
quod nulla Epaëta esse pos-  
sit 30, cùm Epaëta quælibet  
minor esse debeat quam  
tempus integræ lunationis, &  
peracta duodecimā anni luna-  
tione nunquam superesse pos-  
sint 30 dies, quin ex iis statim  
componatur lunatio embolismi-  
ca, quæ facta nihil supereat,  
aledoque Epaëta debet esse nulla  
qualis asterisco \* denotatur.  
Variis autem temporibus ex his  
30 Epaëtalibus numeris respon-  
dent decem & novem Aureis  
Numeris variae decem & novem  
Epaëtes (ex iis enim exurgunt  
30 diversi 19 Epaëtarum cycli)  
prout solaris anni ac lunatis  
æquatio exposcit; quæ quidem  
19 Epaëtes progradientur ut olim  
per eundem numerum 11, ad-  
dunturque semper 12 illi Epaë-  
tes quæ respondent Aureo Nu-  
mero 19, ut habeatur sequens  
Epaëta respondens Aureo Nu-  
mero 1, ob rationem paulò antè  
dictam.

Epaëtales (1) numeri retrogra-  
do ordine ab asterisco \* seu

Num. Aur.	Epaëta veres.
1	XI
2	XXII
3	III
4	XIV
5	XXV
6	VI
7	XVII
8	XXVIII
9	IX
10	XX
11	I
12	XII
13	XXIII
14	IV
15	XV
16	XXVI
17	VII
18	XVIII
19	XXIX

re. Numerus V. G. xxix diei 2 Januarii affixus (1), dum est in usu, non solum significat eo die fieri novilunium, sed etiam seipso exprimit in fine Decembris praecedentis post ultimam lunctionem superfluisse 29 dies, qui juncti cum primo die Januarii lunctionem 30 dierum effecerunt die illo 1 Januarii terminatam: quod utique non designaret numerus 2, directo ordine diei 2 Januarii inscriptus.

In inscribendis Calendario (2) numeris triginta Epactalibus, haec cautio adhibenda est, ut in 2<sup>a</sup> eorum collocatione, itemque in quartâ, sextâ, octavâ, decimâ, ac duodecimâ, eidem diei, nempè 5 Februarii, 5 Aprilis, 3 Junii, 1 Augusti, 29 Septembris, & 27 Novembri, in quos dies incidit Epacta xxv ex superiori dispositione, due hæ Epactæ xxv, xxiv simul ascribantur. Ex quâ re efficitur ut post duodecimam inscriptiōnem Epactarum supersint 11 dies in Decembri, quibus iterum hæ Epactæ\*, xxix, xxviii, xxvii, xxvi, xxv, xxiv, xxiii, xxii, xx, præfigantur; omnes verò 30 Epactæ duodecies inscriptæ occupent dies duntaxat 354 quos in anno lunari communi contineri diximus, lunctionesque alternatim 30 & 29 dierum constituuntur.

Deinde quoniam accidit (3) nonnauquām ut in uno eodemque Cyclo decemnovennali utraque Epacta xxv, xxiv sit in usu, scribitur Epacta 25 alio caractere vel colore ad Epac-

tam xxvi in sex illis locis in quibus simul posite sunt Epactæ xxv, xxiv: in aliis autem locis ad Epactam xxv scripta est eadem Epacta 25, alio etiam caractere vel colore. Niſi enim hoc fiat, continget ut in uno eodemque Cyclo decemnovennali in quo utraque Epacta xxv & xxiv est in usu, duæ lunctiones sexies in anno in unum & eundem diem incident, quod est absurdum & contrà naturam Cycli decemnovennalis, cùm novilunia ad eosdem dies niſi post 19 annos (4) elapsos redire non possint. Hoc autem incommodum vitatur omnino per Epactam 25, xxv bis in sex locis diverso caractere aut colore ad diversos dies usurpatam. Nam quotiescumque in Cyclo aliquo decemnovennali Epacta xxv currit cum Aureo Numero majore quām 11, quales sunt posteriores hi octo 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, erit quidem in eodem Cyclo Epacta xxiv etiam in usu: sed si tunc assumatur Epacta 25 diverso caractere, vel colore notata, quæ in sex locis ē regio ne Epactæ xxvi locatur, non poterunt duo novilunia in eundem diem incidere; cùm Epacta illa 25 diverso caractere vel colore scripta, & Epacta xxiv duos semper dies diversos in singulis mensibus occupent. Quando autem in aliquo Cyclo decemnovennali Epacta xxv currit una cum Numero Aureo non majore quām 11, quales sunt undecimi priores 1, 2, 3,

(1) Clav. ibid. Cap. 10, R. 13.

(2) Ibid. n. 2.

(3) Id. ibid. n. 4.

(4) Ibid. n. 5.

4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, nunquam accidet ut in eodem Cyclo Epacta xxiv cum xxv sit in usu : quocircà assumenda tunc erit Epacta xxv, quæ sex illis locis eidem diei cum Epactâ xxiv ascribitur : quia cùm Epacta xxiv in eodem tunc Cyclo non sit in usu, periculum esse non potest ut intrâ eumdem Cyclum decennovennalem, bis eodem die novilunium contingat. Eodem pacto, eti Epacta 25 diverso colore vel caractere insignita ponatur in sex locis diversis è regione Epactæ xxvi ad eumdem diem, non tamen idcirco in eumdem illum diem duo novilunia incident antè transactos 19 annos ; quia currente Epactâ xxv cum Aureo Numero majore quam 11 quo solum tempore Epacta 25 diversi coloris vel caracteris usurpatur, ut diximus, nunquam in eodem Cyclo Epacta xxvi ad novilunia indicanda adhibebitur. Quæ omnia ex Tabulâ Epactarum expansa, & ex Cyclo Epactarum perpetuo, de quibus infrâ, vel ipsis oculis perspicua fient.

Jam verò quodd in sex locis supradiatis (1) ad æquationem mensium lunarium consociatae sint Epactæ xxv & xxiv potius quam aliæ qualibet, illud ideo factum est, ut lunationes secundum Cyclum 30 Epactarum, & præsertim 30 lunationes Paschales magis congruentes forent Paschalibus 19 lunationibus Aureorum Numerorum Concilii Nicæni, quarum initia contingebant in uno ex 29 diebus ab 8 Martii inclusivè,

usque ad 5 Aprilis etiam inclusivè, erantque omnes dierum tantum singulæ 29. Id autem assequimur, quantum quidem fieri potuit, per consociationem prædicto modo institutam, cuius ope omnes lunationes Paschales, quæ nunc sunt numero trinta, nonnisi eisdem 29 dies ab 8 Mart. ad 5 Aprilis, in Calendario occupant, nec nisi dies 29 singulæ complectuntur, solis exceptis Epactarum xxiv & 25 lunationibus quæ dies 30 singulæ continent; quod vitari non potuit quin in graviora incommoda incurreretur. Si enim post diem 5 Aprilis, non autem in ipsâ die 5, facta esset illa Epactarum congregatio, novilunia Paschalia dies in Calendario 30 occupassent, ultimumque eorum Epacta xxiv designatum, post diem 5 Aprilis inciperet, quod hactenus in Ecclesiâ est inauditum. Quod si hæc congregatio in fine Martii institueretur, ut à Lilio erat factum, & in Compendio novæ rationis restituendi Calendarii significabatur, efficerentur septem lunationes Paschales 30 dierum, ut in Lilio Calendario perspicue videri potest.

Denique in fine Decembris juxta Epactam xx apposita (2) quoque est Epacta 19 alio caractere vel colore, quæ novilunium ostendat ultimo die Decembris quando Epacta xix & Numerus Aureus 19 simul concurrunt, quod in multis annorum millibus semel tantum contingit, quando scilicet in usu est is decennovennalis Cyclus in quo Epacta 1 respondet Au-

(1) Ibid. n. 8, 9, 10.

(2) Ibid. n. 11.

reto Numero 1, ut factum est seculo præterito, nec eveniet antè annum 8200. Nisi autem apponenteretur Epacta hæc 19 diei 31 Decembri, exhiberetur quandoque lunatio una 59 dierum. Cùm enim ad Epactam cum Aureo Numero 19 currentem, quæcumque illa sit, ex regulâ generali adjici debeant 12, ut Epacta sequentis anni habeatur, sit ut currente Epactâ xix cum Aureo Numero 19, sequentis anni Epacta futura sit 1; additis namque 12 ad 19 fiunt 31, ex quibus si 30 abjicias, rem inebit utique 1 pro Epactâ anni sequentis. Quandoquidem autem Epactæ 1 usus non incipiat nisi die 30 Januarii, nec in Decembri præcedente ulla sit Epacta xix, nisi die 2; sequitur lunctionem die 1 Decembri sub Epactâ xix inceptam, nonnisi die 29 Januarii desitaram, diesque proinde 59 duraturam. Sed si die 31 Decembri è regione Epactæ xx scribatur Epacta 19 alio caractere vel colore, quæ usurpetur cùm Numerus Aureus 19 est in usu, tunc lunatio incœpta die 2 Decembri sub Epacta xix erit emblematica 29 dierum, desinetque die 30 Decembri; die vero 31 sub Epacta 19 incipiet lunatio 30 dierum in die 29 Januarii terminanda.

Quod si quando Epactæ per dies Calendarii distributæ (1) indicent novilunia paulò seriùs quam res postulet, mirandum non est, cùm maturo consilio ita sint dispositæ. Cùm enim nullus Cyclus lunaris ad unguem calculo Astronomico respondere

possit, sed modo citius, modiardiū novilunia indicet, data est diligenter opera in distribuendo hoc 30 Epactarum Cyclo per dies Calendarii, ut potius novilunia seriùs aliquando per Epactas demonstrentur, quam ut aliquando sedes suas antevertant; ne cum Quartodecimanis hæreticis sacro-sanctum Pascha vel in quartâ decimâ lunâ, vel antè celebretur; adeò ut propter celebrationem Paschæ major sit habita ratio xiv lunæ, vel plenilunii, quam novilunii. Neque magni refert si aliquando, quod raro tamen accidit, propter hanc novilunii postpositionem, contingat Pascha celebrati post diem 21 lunæ: minus enim hoc peccatum est quam si antè diem xiv lunæ celebretur, vel in ultimo mense, quod esset absurdissimum.

Diximus suprà ex his 30 Epactis in Calendario inscriptis variis temporibus 19 Epactas Aureis 19 Numeris respondere, prout solaris anni ac lunaris æquatio exposcit: quæ enim semel assumptæ fuerint 19 Epactæ novilunia (2) tamdiu quidem rectè indicabunt (quemadmodum olim 19 Aurei Numeri) quamdiu, post completos 19 annos lunares, conjunctiones luminarium ad eosdem semper dies redire comperientur. Cùm primum autem novilunia per unum fermè diem, sive versus initium mensis, sive versus finem devoluta fuerint, (quod quidem necessariò continget tum propter centesimos annos communes, hoc est, non Bissextilles, tum propter annos 312

(1) Cal. Gregor. can. 2.

(2) Clav. ibid. cap. II. n. 3.

cum dimidio, quibus lunationes unam diem anticipant in Calendario) ascendentæ erunt aliae 19 Epactæ eisdem 19 Aureis Numeris respondentes, quæ alias 19 Epactas ad illud usque tempus usurpatas excedant unitate, singulæ singulas, si novilunia uno die versus mensium initia ascenderint; si verò versus fines mensium unum diem descenderint, eligendæ erunt 19 Epactæ proxime antecedentibus, singulæ singulis, unitate minores. Erunt verò omnes illæ Epactæ 19 proximè præcedentibus, singulæ singulis unitate majores aut minores, si modò prima ex ipsis, quæ nempè Aureo Numero 1 responderet, fuerit unitate major aut minor illà quæ in 19 proximè præcedentibus eidem Aureo Numero 1 respondebat; quandoquidem ceteræ quæ hanc primam consequuntur, ex eâ efformentur per continuam adjectionem 11, abjectis 30 quoties ex composito numero possunt abjici, ut videre est in Tabulâ Epactarum expansa, & in Cyclo eorum perpetuo infra referendo. Cumque triginta sint Epactales numeri, eorumque quilibet Aureo Numero 1 possit respondere, & pro primo numero Cycli Epactarum decemnovennalis usurpari, sequitur hâc arte construendos 30 omnino decemnoveniales Epactarum Cyclos diversos, variis temporibus in usu ponendos, quos exhibet Tabula Epactarum, ut vocant, expansa, triginta lineis horizontalibus contentos & in 15 perpendicularium columnarum formam sub 19 Aureis Numeris in superiore Tabulæ parte descriptis, distributos. Ad sinistrum autem hujus Tabulæ la-

tus apponuntur litteræ Alphabeti 19 minuscule a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, p, q, r, s, t, u, omissâ littera o propter similitudinem illius cum notâ arithmeticâ seu zero; & undecim majusculæ A B C D E F G H M N P, omissis pariter variis ob causas litteris I K L O. Scribuntur verò litteræ illæ retrogrado ordine, sicut in Calendario numeri Epactales quos illæ singulos singulæ repræsentant, adeò ut P è regione primæ seu supremæ Epactarum series, N è regione secundæ, &c. & demùm a è regione ultimæ, seu infimæ scribatur. Dicuntur autem litteræ Indices, quia indicant quænam Epactarum series quovis tempore in usum sit recipienda; ut ex Tabulâ æquationis Epactarum perspicuum erit. Dicuntur & litteræ Martyrologii, quia in Mat-

Cycle Epact.	
perpetuu.	
P	*
I	XI
C	XXII
c	III
P	XIV
FF	XXV. 25
f	VI
s	XVII
M	XXVIII
i	IX
A	XX
a	I
m	XII
D	XXIII
d	IV
q	XV
G	XXVI
g	VII
t	XVIII
N	XXIX
k	X
B	XXI
b	II
n	XIII
E	XXIV
e	V
r	XVI
H	XXVII
h	VIII
u	XIX

tyrologii libro ad singulos anni dies suprà Sanctorum historias ordinatim dispositæ, indicant quota luna ad Primam in Martyrologii lectione sit pronuntianda. Porro prima illius Tabulæ Epactarum series, seu primus Cyclus, è cujus regione ad sinistrum appieta est littera P, procedit per Epactas viii, xix, \*, xij, xxij, iij, &c. secundus per Epactas viij, xvij, xxix, x, xxij, &c. tertius per Epactas vj, xvij, xxvij, &c. &c. sic deinceps usque ad octavum, qui progreditur per Epactas j, xij, xxij, &c. tum nonus per \*, xj, xxij; iij, &c. decimus per xxix, x, xxij, ij, &c. Idem autem primus Cyclus ab Epactâ vij incipit, ut Epacta \* Aureo Numero 3 in superiori Tabulæ parte respondeat, sive Cyclus hic melius representet Aureos Numeros veteris Calendarii. In veteri enim Calendario Aureus Numerus 3 inscriptus erat diei 1 Januarii, quam nunc Epacta \* occupat, ceteraque hujus primi Cycli Epactæ iisdem in novo Calendario diebus inscriptæ sunt, quos in veteri obtinebant Aurei Numeri ipsis respondentes. Tandem in tabulâ illâ expansâ, Epacta 25 alio caractere vel colore, propter rationem jam dictam, toties scribitur, quoties ea simul in eodem Cyclo cum Epactâ xxiv in usum venit, quod nisi sub octo ultimis Aureis Numeris locum non habet.

Hujus expansæ Epactarum Tabulæ Epitomen exhibet Cyclus Epactatum perpetuus; in eo enim sic disponuntur numeri 30 Epactales, ut sequens ex præcedenti semper giguantur per perpetuam additionem 11, abiectis 30 quoties id fieri numerus compositus

patitur; quæ cyclica &c perpetuò revolubilis forma id præstat commodi, ut à quocumque Epactali numero initium ducas, seu quemcumque Aureo Numero 1 respondere supponas, novemdecim continuò assumpti in eâ Tabulâ numeri Cyclum decemnovennalem Epactatum semper constituant, modo ultimæ Epactæ Aureo Numero 19 respondentib[us] adjiciantur 12, quod fiat regressus ad eam quæ Aureo Numero 1 in principio revolutionis respondere supposita est. Cum ergo triginta sint numeri Epactales, sequitur in eo Cyclo perpetuo 30 diversos contineri Epactatum Cyclos decemnoveniales, eumque proindè esse ipsammet Tabulam expansam in epitomen redactam. In eo Cyclo perpetuo è regione cujuslibet Epactæ inscribitur illa littera Index, quæ in Tabulâ expansâ præfigitur seriei Epactam eamdem sub Aureo Numero 3 exhibenti. Denique unicam in eo Cyclo eamdemque cellulam, cui præfigitur littera F, occupant Epactæ xxv, & 25 diversi characteris aut coloris, diversisque in circonstantiis, ut diximus, usurpandæ.

Inter triginta autem illos decemnovennales Epactarum Cyclos, tum in Tabulâ expansâ, tum in mox exhibito Cyclo perpetuo contentos, quisnam sit quovis seculo eligendus, & in usum assumendus, docet Tabula æquationis inferiùs referenda, cujus hæc sunt principi & fundamenta.

Scilicet ex unâ parte annis Julianus in veteri Calendario assumptus veram anni soâris magnitudinem excedit mihiutis decem & eo amplius, quæ ex-

cessus juxta mensuram anni Alfonsoni 365 dierum, 5 horarum, 49', 16'', à Lilio propositam, post annos 402 ad tres dies aſſurgit. In Calendarii tamen exēcutione aſſumptus est annus Alfonſino minor 4'' qui in annis præcisè 400 trium bisextorum omiſſionem exigit. Quapropter voluit Gregorius XIII. <sup>us</sup> ſummus Pontifex ut in perpetuum, in quāvis 400 annorum perio- do, qui verus solaris Cyclus di- cendus eſt, tres primi quique centesimi ſinē Bisexto transi- gerentur, & quartus quisque centesimus foret de more Bis- sextilis. Quia solaris anni æqua- tio per Bisexti alicujus omiſſionem, cūm illud präſtet ut novilunia omnia deinceps uno die tardiū eveniant, unoque p̄oindē die tardiū debeat in Calendatio indicari, ideo Metemp̄ofis seu poſtpositio lunæ appellatur.

Ex alterā verò parte novilu- nia poſt 19 Julianos annos ſedes suas anticipant horā unā & ferē dimidiā, ac p̄oindē die 1 ferē integro poſt 212 annos (ſeu potius, juxta Lilium, teste Clavio, die 1 poſt annos 312 cum 6 mensib⁹, 23 diebus, & 17 horis, quod ſupponit lu- nationem 29 dierum, 12 hor. 44' 3'' 10''' 48''') Copernicanā paulo breviorem, ſed Alfonſinā longiorem): quamobrem in Gre- gorianā correctione, lunaris an- nus intrā quolibet ſpatium 2500 annorum Julianorum, (poſt annum 1800, qui ultimus ſupponitur p̄ecedentis 2500 annorum periodi) octies æquan- dus p̄eſcribitur; ſepties qui- dem poſt trecentos quoſque an- nos, ſemel autem & ultimum poſt ceteros 400 annos. Atque

hæc lunaris æquatio efficit ut novilunia die uno citius in Ca- lendario debeat designari, & propterea Proemptoris lunæ ap- pellatur, hoc eſt anticipatio.

Æquationes autem illæ annis ſolū centesimis alligatae fue- runt, quōd illi notabilioreſ ſint, faciliūſque memoriam re- tieuantur.

Ex hac tenus expositis tripli- cem regulam elicuerunt Grego- riani Corretores. 1°. Quando ex principiis mox explicatis in aliquo centesimo anno ſola occurrat æquatio solaris ſeu Me- temp̄ofis facienda, tunc deſcen- dendum eſt ad ſeriem ſeu Cyclum Epactarum proximè in- fieriorem, ſeu cujus Epactæ proximè p̄ecedentibus, ſingulae ſingulis, unitate ſint mino- res. 2°. Quando in aliquo cen- tesimo anno ſola facienda eſt æquatio lunaris ſeu Proemptoris, ascendum eſt ad ſeriem Epactarum proximè ſuperiorem, cujus Epactæ Epactis anteà pro- ximè uſurpati, ſingulae ſingulis ſint unitate maiores. 3°. Tan- dem quando vel neutra vel ultra- que ſimul æquatio adhibenda occurrat, in eādem tunc Epactarum ſerie, ſeu Cyclo eſt per- ſiſtendum, cūm vel nulla ſit mutandæ ſeriei ratio, vel mu- tua ſiat ascensus & descensus compenſatio, ob duplēm op- positam æquationem quæ occurrat.

Atque hæc omnia accurate obſervata cernuntur in Tabulâ æquationis Lilianâ, quam ad plusquam trecenta annorum millia ex auſoris ſententiâ ex- tensam (quoniam poſt 300000 annos juxta Lilii principia, non ſolū eadem litterarum Indi- cum varietas recurrit, ut ſit

post 10000 annos , sed eadem omnino ac ante 30000 annos , eodemque inter se ordine redunt in orbem litteræ Indices ) dedit Clavius Explic. Calend. cap. 11. n. 8. idèoque illam perfectam & perpetuam fore existimaverat Lilius. Merito tamen monet Clavius ibid. cap. 12. n. 10. descensum qui fit in Tabulâ æquationis Lilianâ , à linea Indice F ad litteram E non efficere ut novilunia uno die tardiùs in Calendario posteà indicentur , cùm duæ Epactæ xxv & xxiv , quas illæ litteræ designant , in sex Calendarii locis unicum eundemque diem occupent , non duos. Quapropter jubet ille ibidem ut in constructione Tabulæ æquationis , cùm deventum fuerit ad litteram F , descensus alternatim fiat ab illâ litterâ F ad litteram E , & à litterâ F ad litteram D , omissâ E : quod in nostrâ æquationis Tabulâ ad calcem referenda sedulò est observatum : in primâ enim litterarum Indicium factâ ibi descriptione , litteram F proximè sequitur littera E , in secundâ vero descrip-  
tione litteræ eidem F proximè subjungitur littera D , omissâ litterâ E .

Quod si aliquando post elapsa plura secula reperiatur ab Astronomis alia anni magnitudo , vel alia lunæ periodus quam quæ in Tabulâ æquationis assumptæ sunt , facile poterit mutari æquationum solarium vel lunarium ratio , eas æquationes in aliud centesimum annum vel differendo , vel anticipando , prout necessarium ostenderint Astronomicæ observationes ; nulla tamen propterea in Calendario facienda mutatio erit , &

intacta prorsus remanebit facta in eo Epactarum distributio , intacta Tabula eorum expansa , intactus Cyclus eorumdem perpetuus , solaque paululum immutanda erit Tabula æquationis. Atque propter hanc Epactarum stabilitatem , cum mutandæ æquationum rationis facilitate conjunctam , Calendarium Gregorianum verè dicendum est immutable & perpetuum.

Veniamus nunc ad ipsam Tabulam æquationis , cuius hæc constructio est. Columna illius continet annos æræ vulgaris centesimos , initio ducto ab anno 0 , seu zéro , qui primum illius æræ annum immediatè processit , cum præfixis , juxta præscriptas paulò superiùs regulas , Indicibus litteris. Columna 2 solares & lunares æquationes exhibet , solares hoc signo ☌ notatas , lunares hoc signo ☎ , simplici quidem ☎ penè tertium quemque centesimum annum collocato , dupli-  
ci verò ☎ ☎ , penè quartum quemque centesimum in quem æquatio differri debuet , designatas. Hæc autem nota ☎ ☎ ubicumque occurrit , designat annum cui ea inscribitur esse ultimum alicujus 10000 annorum periodi centesimum , quo elapsi annorum numero eadem redit litterarum Indicium varietas , ut diximus. In tertia columnâ è regione unius cujusque anni centesimi scribitur secundum easdem regulas supradictas , Epacta Cycli decennovennalis ab eo anno per unum integrum seculum usurpandi radicalis , hoc est , quæ per totum illud seculum Aureo Numero 1 respondeat. Ceteræ autem columnæ Numerum Aureum , litteram Dæ-

minicalem , unam vel dupli-  
cem , prout annus communis est  
aut Bissextilis , numerumque  
Romanæ Indictionis anno cuili-  
bet centesimo congruentes præ-  
se ferunt.

Tabulæ hujus æquationis ope,  
hoc modo inveniemus in Cyclo  
Epactarum perpetuo , tum se-  
riem Epactarum seculo quovis  
assumendam , tum in illâ serie  
Epactam cuilibet anno proposito  
congruam . Quæratur primùm  
per data superiori Capite præ-  
cepta Numerus Aureus anni pro-  
positi , & in mente retineat-  
ur : quæratur deinde in Tabulâ  
æquationis annus propositus , si  
is sit centesimus aliquis ; si au-  
tem is non est ex centesimis ,  
sumatur annus centesimus pro-  
ximè præcedens , noteturque  
Epacta radicalis eidem respon-  
dens ; tum cellulæ Cycli per-  
petui similem Epactam continent  
tribuatur Numerus Aureus 1 se-  
quenti cellulæ numerus 2 , &  
ita successivè , donec ad Aureum  
Numerum anni propositi deve-  
niatur , redeundo , si opus sit ,  
ad principium Cycli . Nam cel-  
lula in quam Numerus anni pro-  
positi Aureus ceciderit , Epacta  
tam illi anno congruam exhibe-  
bit . Quòd si numerus ille sit  
major quam 11 , cecideritque  
in cellulam Epactæ-duplicis xxv  
& 25 , sumenda erit Epacta 25  
diversi characteris , ut sèpius  
diximus .

V. G. Sit propositus annus

1916 cuius Aureus Numerus ex  
præceptis Capitis præcedentis est  
17. cum anno 1900 in Tabulâ  
æquationis adscripta sit Epacta  
radicalis xxix , cellulæ Cycli  
perpetui similem Epactam exhi-  
benti tribuatur Aureus Num-  
erus 1 , cellulæ sequenti numerus  
2 , & sic deinceps , cadet Aureus  
Numerus 17 anno 1916 currens  
in cellulam duplicis Epactæ  
xxv , 25 . Sed quia numerus  
ille 17 majorest quam 11 , usur-  
panda hoc anno erit Epacta 25  
diversi characteris , quæ novi-  
lunia in Calendario per totum  
annum 1916 indicabit . Ceter-  
um Epactæ in principio anni  
mutandæ sunt inā cum Numero  
Aureo in cujus locum hæ suc-  
cesserunt .

Quòd autem Tabulæ æquatio-  
nis initium ab ipso æræ nostræ  
vulgaris principio deduxerimus ,  
id eo fine egimus ut ostendere-  
tur , non quid factum sit , sed  
quid fieri potuisset & debuisse ,  
cum Gregoriana correccio me-  
diost celestium luminarium mo-  
tus accurate , quantum potest  
per Cyclo scii , repræsentet ;  
imò , celebrissimo teste Cassilio ,  
facilius multò quam per Astro-  
nomicas Tabulas etiam accura-  
tissimas , meliusque quam vel  
ipsi Calendarii Auctores existi-  
maverant & prætenderant . Hist .  
de l' Acad . des Sciences pour  
l'an 1704 . p. 72 . & Mém . de  
l' Acad . des Sciences , depuis  
1666 , To . 8 . p. 296 . 297 .



C A P U T V I<sup>um.</sup>

*De Cyclo solari 28 annorum, litterisque Dominicalibus veteris Calendarii.*

7. Festum Duplex - majus occurrentis in Festo superioris gradus , transfertur in primum diem Festo Semiduplici & supra non impeditum.

8. De Dominica quacumque , vel de die Octava secundi ordinis , vel de Feria majore occurrentibus in Festo superioris gradus , etiam Annuali , fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus. Ha Commemorations dicuntur privilegiatae.

9. Anticipanda erunt Officia diei Octavæ Epiphaniae , Ascensionis , Corporis Christi , & Dedicationis , quæ diversa sunt à Festorum ipsorum Officio , & Propriis dicata mysteriis , ubicumque Festum , ipsis diebus occurrentis solet & debet ritu Annuali vel Solemni-majori à Clero celebrati , vel à populo ipsatum Ecclesiarum feriari. Quod siet etiam in simili casu de Officio sanctorum Reliquarum in die Octava omnium Sanctorum ; non vero propter Festa private devotionis aut fundationis quarundam Sodalitarum , quocumque ritu alias celebrari consueverint , quæ in alium diem transferri possunt ,

nec debent publico & regulari totius Dioceseos Officio antefieri.

10. Quotiescumque fit in Laudibus memoria Dominicæ, seu diei Octavæ cujuscumque habentis Evangelium diversum ab Evangelio Festi, vel Feriæ majoris, aut Vigiliæ; toties pro ultima Lectione Officii Nocturni legitur Homilia in Evangelium Dominicæ, vel diei Octavæ, Feriæ, vel Vigiliæ. Si autem eodem die fiat Commemoratio diei Octavæ habentis Evangelium proprium, & etiam Dominicæ, vel Feriæ, vel Vigiliæ; tunc legitur utraque Homilia pro penultima & ultima Lectione Officii Nocturni, ita ut pro penultima Lectione legatur Homilia Officii gradus superioris.

11. In primis Vesperis Annualium, præter Commemorations privilegiatas ( si quæ occurrant ) non fit alia, nisi de Dupli majore concurrente, & suprà.

12. In Laudibus Annualium fit Commemoratio de die Octava Dupli-minore, & de die intrâ Octavam secundi ordinis, si occurrant, nisi aliter notetur; in secundis verò Vesperis de concurrente Festo Dupli & suprà, vel de die intrâ Octavam secundi ordinis.

13. In primis Vesperis Solemnum majorum fit Commemoratio de Dupli-minore, & de die Octava Dupli pariter minore, seu concurrente, seu postridie occurrente, ac de die intrâ Octavam secundi ordinis. Similiter in Laudibus. In secundis denique Vesperis fit Commemoratio dierum intrâ Octavas quascumque, aut Semidu-

plicis alterius; licet horum die sequenti fiat tantum Memoria, propter Dominicam quæ occurrat aut Festum Duplex,

14. In primis Vesperis Solemnum-minorum fit Commemoratio Semiduplicis cujuscumque, & suprà: in Officio Nocturno & Laudibus, etiam Simplicis, & similiter in secundis Vesperris, licet de Simplici fiat postridie tantum Memoria.

15. In Duplicibus-majoribus & infrâ, ac in Dominicis, fit Commemoratio cujuscumque Officii gradus inferioris vel minus digni, quod eâ die nec celebrari, nec transferri, nec anticipati debet.

16. Festum Annuale aut Solemne majus occurrens in Dominicis, Feriis aut Vigiliis privilegiatis, quas videre est in Tabula gradus & diversitatis Officiorum, transfertur in proximum diem Solemni-majori vel suprà non impeditum. Solemne-minus his diebus privilegiatis occurrens transfertur in primum diem Dupli-minore non impeditum, denique Duplex-majus translatum fit primâ die Festo Semiduplici non impedita.

17. A Vesperis Feriæ iv. post Dominicam Palmarum inclusivè usque ad Dominicam in Albis etiam inclusivè; & à Vigilia Pentecostes inclusivè, usque ad Festum SS. Trinitatis inclusivè, de Semiduplici aut Simplici occurrente nihil fit. De Dupli verò minore fit Commemoratio ultimo triduo Hebdomadæ Paschæ & Pentecostes.

18. Si plura festa transferantur, prius de digniori; aliquin, si sint ejusdem gradus, de iis fiet eo ordine quo occur-

tunt in Calendario , exceptis Festis Apostolorum & supra , quæ aliis inferioris gradus , etiam Festis Evangelistarum , præse- runtur.

19. Si Festum Simplex vel Semiduplex occurrat in die in quo fieri tantum possit de eo Commemoratio , sit etiam tantum Commemoratio de eo in Vesperis præcedentis diei , etiam si dicantur de Feria : si autem in die in quo nihil possit fieri de eo , nihil etiam fieri in Vesperis præcedentibus.

20. Cum Festum habens Octavam transfertur , non trans- fertur ejus Octava , sed semper suo die terminatur ; ita ut , verbi gratiæ , si aliquo anno Festum celebraretur eo die , qui si non transferretur , esset ejus dies sexta , postridie fieret de die septima ; sequenti vero die , de die Octavæ : si vero celebraretur post diem in quam incidit Octava , eo anno nullam haberet Octavam.

## P A R S   S E C U N D A .

### *De Horis Officii.*

O fficium est Nocturnum , vel Diurnum.

1. Officium Nocturnum ; quod etiam Vigiliatum nomine nuncupatur , institutum est ut celebretur ad exemplum Davidis , qui mediâ nocte surgebat ad confitendum nomini Domini : nunc quia ex consensu Ecclesiæ manè persolvitur , dicitur vulgato nomine Matutinum.

2. Officium Diurnum ( sic nuncupatum , quod per dierū celebrati soleat , ad exemplum ejusdem Davidis qui septies in die laudem dicebat Domino , ) in septem horas dividitur ,

quæ sunt : Laudes , sic dictæ à Psalmis Laudum qui hac horâ Deo cantantur ; olim Matutinæ , quod manè persolvitur , appellatae : Prima , quæ orto sole ante Officium Capituli : Tertia , quæ inter ortem solis & meridiem : Sexta , quæ me- ridie ante prandium : Nona , quæ inter meridiem & occasum solis : Vesperæ , quæ occidente sole , sive ad vesperascente die , ante Cœnam : Completorium denique , quod completo die ante cubitum Deo persolvitur ; sive omnino Officium consummatur.

3. De his octo Horis singilla- tim agendum.

## C A P U T   I .

### *De Officio Nocturno.*

1. A d Officium Noctis hæc per ordinem regulariter dicuntur , nisi aliter quibusdam diebus notetur : *Pater. Ave. Credo* secrerò ; deinde altâ voce Celebrans dicit : *Domine , la- bia , &c.* pollice signando fibi os signio crucis . Tum manu extensâ signando se à fronte ad pectus , & à sinistro humero ad dextrum , ( quod servatur initio omnium Horarum ) dicit : *Deus , in adjutorium , &c.* Dicto *Alleluia* , vel *Laus tibi , Domine , &c.* dicitur *Invitatoriū* conveniens , cum *Psalmō Venite* , modo præscripto in ordinatio Officii . Postea dicitur *Hymnus*.

2. Hymnum sequuntur Psal- mi & Lectiones , sed diversâ ratione , pro diversitate Officii . Nam si sit Duplex-majus , & supra , ( extra Tempus Paschale ) dicuntur novem Psalmi cum totidem Antiphonis , tribus Versiculis , novem Lectionibus

tae Responsoriis, per tres Nocturnos distinctis hoc modo.

3. In I. Nocturno dicuntur tres Psalmi, cum tribus Antiphonis, scilicet post singulos Psalmos Antiphona una; Antiphonam tertiam sequitur Versiculos, post quem dicitur secreto, *Pater noster*, usque ad *Et ne nos, &c.* quod clarâ voce pronunciatur, (quod & in aliis Horis observatur in Choro, quando in ipsis dicitur Oratio Dominica); sequitur Absolutio, deinde tres Lectiones: quamlibet præcedit Benedictio; & post singulas conclusas, ut infra dicetur, Part. III. Cap. VI I. dicitur Responsorium. (Absolutiones & Benedictiones habentur post Psalterium in Ordinario.) Lectiones desumuntur ex sacra Scriptura, quæ per ordinem in Officio de Tempore occurunt, (nisi aliæ propriæ de Scriptura assignentur, quod fit in majoribus tantum Solemnitatibus.) Responsoria vero dicuntur ut in Proprio de Tempore, si Officium fiat de Tempore; si vero de Sancto, ut in Proprio vel in Communi Sanctorum, etiamsi Lectiones fuerint de Tempore. In fine Responsorii tertii cujusque Nocturni, dicitur *Gloria Patri*, cum reclamatione Responsorii, nisi aliter in propriis locis notetur.

4. In II. Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, cum totidem Antiphonis, Versiculos alias, *Pater noster*, Absolutio & Benedictiones de Dominica in Officio de Tempore, & in Festis Domini; de B. M. aut de Sanctis in ipsorum Officiis: Lectiones de aliquo Sermone aut Tractatu alicujus Sancti, aut de vita illius Sancti de quo fit Offi-

cium; & post quamlibet Lectio-  
nem, unum Responsorium cum  
*Gloria Patri*, ut supra, n. 3.

5. In III. Nocturno alii tres Psalmi, cum Antiphonis, Ver-  
siculo, *Pater noster*, &c. ut  
supra; leguntur tres Lectiones  
de Homilia in Evangelium de  
Tempore, vel de Festo, secun-  
dum qualitatem Officii, ultimâ  
interdum exceptâ, ut videbitur  
infra; & primæ Lectioni de  
Homilia semper præponitur  
principium Evangelii de quo est  
Homilia Post singulas Lectiones  
unum dicitur Responsorium,  
in fine ultimi additur *Gloria  
Patri*, & post reclamationem  
dicitur *Te Deum*, nisi ali-  
ter notetur: post *Te Deum*,  
vel quando non dicitur, post  
ultimum Responsorium, dici-  
tur Versus Sacerdotalis, (si sit  
dicendus:) quo dicto, inchoau-  
tur Laudes, ut infra; vel ter-  
minatur Officium Nocturnum,  
ut dicetur infra, num. 8.

6. In Festis Duplicibus-mi-  
noribus, Semiduplicibus, &  
Simplicibus, post Invitatorium  
& Hymnum (extra Tempus  
Paschale) dicuntur novem Psal-  
mi sub tribus Antiphonis, cum  
Versiculo ex Proprio, vel ex  
Nocturno de Communi secun-  
dum Fetiām; tres videlicet  
Psalmi sub una Antiphona,  
postea *Pater noster*, deinde  
Absolutio, & tres Lectiones  
sub tribus Benedictionibus. Sci-  
licet in Festis Semiduplicibus  
Lectio i. erit de Scriptura occur-  
rente, tribus in unam junctis;  
tum ij. & iij. de Festo. In  
Simplicibus vero i. & ij. Lectio  
de Scriptura occurrente; prima  
videlicet sola, secunda ex dua-  
bus aliis in unam junctis, tertia  
de Festo. Post unamquamque

Lectionem dicitur unum Responsum ex Proprio, vel ex eodem Nocturno de Communi, secundum Feriam. Postea in Semiduplicibus & Simplicibus dicitur *Te Deum*, deinde Versus Sacerdotalis.

7. In Officio Feriae (extra Tempus Paschale) Invitatorium & Hymnus, si non sint in Proprio de Tempore, de Psalterio lumentur; deinde novem Psalmi sub tribus Antiphonis, cum Versiculo, ut in Psalterio. Post Versiculum, *Pater noster*, Absolutio, & tres Lectiones, quae erunt de Scriptura occurrentes, in Proprio de Tempore nisi pro ultima Lectione legatur Evangelium cum sua Homilia, vel Commemoratio facienda sit de Sancto per Lectionem de vita illius; runc enim tres Lectiones de Scriptura in duas rediguntur. Post singulas Lectiones dicitur Responsorium, ut notatur in Proprio de Tempore, deinde Versus Sacerdotalis.

8. Versum Sacerdotalem communiter sequuntur Laudes, ut infra. Si vero non dicantur continuo, dicitur cum integra conclusione Collecta, & ante & post dicitur *Dominus vobiscum*, deinde in fine, *Benedicamus Domino*. In Feriis majoribus (extra Tempus Paschale) ante Collectam, & *Dominus vobiscum*, dicuntur flexis genibus Preces positae ad Tertiam.

9. Tempore Paschali, id est, à Dominica Resurrectionis ad Sabbatum post Pentecosten inclusivè, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, unicum Nocturnum dicitur, constans tribus Psalmis, totidem Lectionibus, & Responsoriis; Psalmi variantur, ut

notatur in Proprio de Tempore.

10. In Semiduplicibus, & infra, Psalmi dicuntur ut in Officio de Feria, sub una Antiphona, quæ, nisi adsit propria, est tertia de Communi. In Duplicibus vero & supra, dicuntur sub tribus Antiphonis.

## C A P U T I I .

### *De Laudibus.*

1. **A**d Laudes, (si separantur ab Officio praecedenti, dictis, *Pater* & *Ave*; si vero non separantur, post Versum Sacerdotalem) Hebdomadarum absolutè dicit *Deus, in adjutorium*, ut supra, & dicuntur Psalmi & Canticum cum Antiphonis Officio convenientibus, ut habetur in Psalterio pro unoquoque hebdomada die, vel ut notatur in Proprio de Tempore, vel de Sanctis.

2. In Semiduplicibus & supra, dicuntur quinque Antiphones; quae, si non adsint propriæ, sumuntur de Communi. At in Festis Simplicibus, Psalmi dicuntur sub quarta Antiphona de Laudibus illius Communis de quo fit Officium: intrà Octavas, sub quarta Antiphona de Laudibus Festi, nisi propria assignetur.

3. Post Psalmos (nisi aliter notetur) dicitur Capitulum, Hymnus, Versiculus, Canticum *Benedictus*, cum Antiphona & Collecta; omnia pro qualitate Officii.

4. Preces, quando dicende sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Benedictus*. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum*, vel *Domine, exaudi & oremus*. Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, deinde dicitur

*Benedicamus, & secretò Versiculos Fidelium animæ, & Pater noster.*

5. Si Commemorations sunt faciendæ, fiunt post *Benedicamus*; & post ultimam Orationem dicitur iterum *Benedicamus*, cetera ut suprà.

6. Tempore Paschali in Officio de Feria, ut in Simplicibus, Psalmi dicuntur sub una Antiphona; in Semiduplicibus vero & suprà, nihil mutatur: cetera ut in alio Tempore.

## C A P U T I I I .

*De Prima.*

1. **A**d Primam, ( si separetur ab Officio præcedenti dictis, *Pater & Ave* secretò ) dicitur, *Deus, in adjutorium, & Hymnus, Jam lucis*. Post Hymnum imponitur Antiphona conveniens; quod fit etiam ad ceteras Horas ante intonationem Psalmorum, ut habetur infrà, Parte III. Cap. V. de *Antiphonis*. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad Horas diei, ex Laudibus per ordinem, quartâ prætermissâ. In Feriali vero Officio sumuntur Antiphonæ quæ notantur in Psalterio, vel in Proprio de Tempore, pro unaquaque Hora. Psalmi tres in Festis Annualibus, ac Solemnibus-majoribus, iidem sunt qui pro die Dominica in Psalterio notantur, omisso tamen Symbolo *Quicumque*. In omni alio Officio, tam de Tempore quam de Sanctis, aut de Feria, Psalmi Fariales sumuntur ut in Psalterio, nisi aliter notetur.

2. Post Psalmos, dicta Antiphonâ, cetera dicuntur ut notatur in Ordinario ad calcem Psalterii.

## C A P U T I V .

*De Horis, Tertia, Sexta & Nona.*

1. **A**d Tertiam, Sextam & Nonam, ( si separentur ab Officio præcedenti dictis secretò *Pater & Ave* ) dicitur *Deus, in adjutorium, & Hymnus*, deinde Psalmi per Ferias distributi, ( præterquam in Annualibus, & Solemnibus-majoribus, in quibus dicuntur Psalmi de Dominica ); quibus dictis cum Antiphona, dicuntur Capitulum & Responsorium breve pro qualitate Officii. Post Responsorium breve & Versiculum ( nisi dicenda sint preces ) dicitur *Dominus vobiscum*, vel *Domine, exaudi, & Collecta* quæ habetur in Proprio de Tempore; aut si fiat de Sancto, iu Proprio vel in Communi Sanctorum.

2. Post Collectam, repetitur *Dominus vobiscum*, & dicitur *Benedicamus, & secretò Fidelium animæ*; deinde *Pater*.

## C A P U T V .

*De Vesperis.*

1. **A**d Vespertas, ( si separantur ab Officio præcedenti dictis secretò *Pater & Ave* ) dicitur *Deus, in adjutorium*, deinde quinque Psalmi cum quinque Antiphonis ( nisi aliter notetur ); posteà Capitulum, Hymnus, Versiculos, Canticum *Magnificat*, cum sua Antiphona, & Oratio, cum *Dominus vobiscum*, vel *Domine, exaudi, ante & post*; & in fine, *Benedicamus, ac secretò, Fidelium*.

2. In primis Vesperis Duplicium-majorum & suprà, dicitur Responsorium ante Hymnum. In II. autem Vesperis Solem-

nium-minorum & suprà ante Hymnum dicitur, *Alleluia*, cum Versu, cuius loco à Septuagesima à Pascha dicitur nonum Responsorium Officii Nocturni.

3. Preces, quando dicendae sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Magnificat*.

4. Quando autem fiunt Commemorations, sive propriae, sive communes, quæ suffragia dicuntur, fiunt post *Benedicamus*.

## C A P U T VI.

*De Completorio.*

1. **A**d Completorium absolu-  
tè dicitur *Converte nos*, signando pollice peccus, tum *Deus, in adjutorium*, faciendo signum crucis: Psalimi tres distri-  
bui per Ferias omni die, ex-  
ceptis Solemnibus-majoribus &  
suprà, in quibus dicuntur Psal-  
mi de Dominica ipso die Festo,  
non autem in Vigilia, nec per  
Octavam: Antiphona vulgo  
communis, de Psalterio; pro-  
priæ verò in Festis Solemnibus-  
majoribus & suprà, etiam quando  
Psalmi de Feria in Vigiliis & per Octavam dicuntur:  
*Hymnus, Capitulum, Respon-  
sorium, In manus, Versiculos,*  
*Nunc dimittis*, cum sua Anti-  
phona, & cetera ut habetur  
in Psalterio, nisi aliter note-  
tur.

## P A R S T E R T I A.

*De Horarum Partibus.*

**S**ingulæ Horæ ( nisi aliter no-  
tetur ) inchoantur per  
*Deus, in adjutorium*, præmissio  
ad Officium Nocturnum, *Do-  
mne, labia*, & ad Completo-  
rium, *Converte nos*.

## C A P U T I.

*De Invitatorio.*

1. **I**nvitatorium dicitur regu-  
latiter in omni Officio No-  
turno, cum *Psalmus Venite*,  
sed variatur pro Officii qualita-  
te, ut in Psalterio, Proprio de  
Tempore, ac in Proprio &  
Communi Sanctorum.

2. Variatur quoque pro modo  
& ordine quo dicitur, tam ante,  
quam post Psalmum, & post  
singulos versus Psalmi: de quo  
vide Ordinarium.

3. Tempore Paschali, in  
fine Invitatorii additur unicum  
*Alleluia*.

## C A P U T II.

*De Hymnis.*

1. **H**ymnus dicitur in quali-  
bet Hora, præterquam à Vesperis Feriarum iv. majoris  
Hebdomadæ usque ad Nonam  
Sabbati in Albis inclusivè, &  
præterquam in Officio Defun-  
torum.

2. Ad Officium Noctis Hym-  
nus dicitur post Psalmum *Ve-  
nite*; ad Laudes, post Capitu-  
lum; ad Horas diei, post *Deus, in adjutorium*; ad Vespertas,  
post Responsorium si dicatur,  
alioquin, post Capitulum; ad  
Completorium, post Antiphonam  
Psalmarum.

3. Dicuntur autem Hymni  
in Officio de Tempore, ut in  
Psalterio, quando proprii Hymni  
in Proprio de Tempore non  
adsunt; in Officio de Sanctis,  
dicuntur ut in Communi, nisi  
proprii in Proprio Sanctorum  
habeantur.

4. Doxologia quæ reperitur  
in decursu Breviarii, mutatur  
in propriam, quoties Officium  
habet propriam.

## C A P U T

## C A P U T III.

*De Psalmis.*

1. **P** Salmi eo modo & ordine quo sunt in Psalterio distributi, dicuntur singulis diebus ad omnes Horas, tam Diurnas, quam Nocturnas, non solum in Officio de Tempore, sed etiam in Officio de Sanctis, exceptis Annualibus & Solemnibus-majoribus, in quibus ad Officium Nocturnum & ceteras diei Horas dicuntur Psalmi de Dominica, nisi alii assignentur. Ad primas autem Vesperas & ad Completorium quod eas sequitur semper dicuntur Psalmi Feriales (nisi aliter notetur).

2. In fine Psalmorum, & ad quilibet Psalmorum divisionem semper dicitur *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, præterquam in triduo ante Pascha; tunc enim in fine Psalmorum nihil dicitur: & in Officio Defunctorum, post Psalmos & Cantica, loco *Gloria Patri*, dicitur *Requiem*.

## C A P U T IV.

*De Canticis.*

1. **C** Antica dicuntur in Officio, tam de Tempore quam de Sanctis, ad Laudes, Vespertas & Completorium, ut in Psalterio distribuantur, nisi alia in Proprio tam de Tempore quam de Sanctis assignentur.

2. Canticum quod post tres Psalmos priores dicitur in Laudibus, variatur secundum diversitatem Officii.

3. Cantica propria quæ assignantur in Festis Domini & Beatae Mariæ Virginis, ac in aliis quibusdam Festis dicuntur

APPA.

etiam intra Octavam quando fit de ea, & si sit Octava Fести Domini, etiam in Festis intrâ eam occurrentibus, nisi suum habeant.

4. In ceteris Officiis de Sanctis, inde sumitur Canticum, unde sumuntur Psalmi Laudum.

5. In fine omnium Cantorum dicitur *Gloria Patri*, &c. nisi aliter notetur.

## C A P U T V.

*De Antiphonis.*

1. **A** D omnes Horas Nocturnas & Diurnas, semper cum Psalmis dicuntur Antiphonæ, vel una, vel plures, pro diversitate Officii & Horarum.

2. Si de Tempore fiat Officium, putâ de Dominica, aut de Feria, dicuntur in omnibus Horis, Nocturnis vel Diurnis, Antiphonæ post Psalmos, ut in Psalterio habentur, nisi aliter notetur. Antiphonæ positæ ad Completorium in Psalterio non mutantur, nisi in Festis Annualibus, aut Solemnibus majoribus, ac per eorum Octavas, quando fit Officium de Octava. Intrâ Octavas tamen Festorum Domini, & Assumptionis Beatae Mariæ Virginis, etiamsi Officium non fiat de Octava, dicuntur Antiphonæ de Octava, nisi occurrat aliud Festum habens Antiphonas proprias.

3. In Festis Duplicibus & superâ, Antiphonæ quinque dicuntur ad Laudes & Vespertas, sive ex Proprio, sive ex Communi Sanctorum. In Semiduplicibus ad primas Vespertas unica dicitur Antiphona quæ est propria, vel prima de Communi: ad Laudes autem & ad secundas Vespertas, quinque dicuntur Antiphonæ.

C

In Simplicibus, & in diebus intrâ Octavas secundi aut tertii ordinis, Psalmi dicuntur sub unica Antiphona propria, vel de Communi, quæ ad Laudes est quarta Laudum. In Semiduplicibus & suprà, ad Horas similiter, tam in Proprio de Tempore quam de Sanctis, quando propriæ habentur in Laudibus Antiphonæ, & aliae propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus hoc ordine: ad Primam, prima; ad Teutiam, secunda; ad Sextam, tertia, & ad Nonam, quarta.

4. Tempore Paschali, in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluia*, quod à Septuagesima usque ad Pascha demittitur, & omittitur ubicumque reperitur.

5. Antiphonæ in quocumque Officio eodem semper modo dicuntur, videlicet inchoantur tantum ante Psalmos & Cantica; & post Psalmos & Cantica, integræ dicuntur.

6. Excipiuntur ab hac regula Antiphonæ ad *Benedictus* & ad *Magnificat*, quæ in Solemnibus minoribus & suprà dicuntur integræ ante & post Canticum. Excipiuntur etiam Antiphonæ majores in Adventu, quæ O vocantur. Hæ enim ter repetuntur integræ; primò scilicet, ante *Magnificat*, secundò, ante *Gloria Patri*, tertiò, post *Sicut erat*. Vel si pro sola Commemoratione dicantur, ter etiam hoc modo; primòjante *Gloria Patri*, secundò, inter *Gloria Patri* & *Sicut erat*, tertiò, post *Sicut erat*.

7. In Officio quod absque cantu recitatur, Psalmi &

Cantica inchoantur absque Antiphonarum impositione.

8. Sabbato ante Septuagesimam additur *Alleluia* in fine illius Antiphonæ quæ immediatè præcedit, vel Capitulum, vel Commemorationem Septuagesimæ in Vesperis illius Sabbati; & post deinceps usque ad Pascha, dimititur.

## C A P U T V I .

### *De Versiculis.*

1. *V*ersiculus semper dicitur post Antiphonam quæ sequitur ultimum Psalmum cuiusque Nocturni: ad Laudes & Vesperas, dicitur post Hymnum: ad Primam, & reliquas Horas, post Responsorium breve.

2. Versiculus prædictis, Tempore Paschali, non additur *Alleluia*, ut nec Versiculus Precum, nec in *Pretiosa*, & sequentibus, neque Versiculus Responsorum quorumcumque.

## C A P U T V I I .

### *De Absolutionibus & Benedictionibus ante Lectiones.*

1. *A*bsolutiones & Benedictiones dicuntur ut in Ordinario disponuntur: scilicet, post Versiculum, dicto *Pater noster*, fit Absolutio, & dantur Benedictiones; præterquam triduo ante Pascha, & in Officio Defunctorum.

2. Variantur hæ Benedictiones, pro diversitate Officiorum, id est, sive novem, sive trium Lectionum, sive de Tempore, sive de Sanctis, & pro varietate Temporum, ut in Ordinario notatur.

3. In Officio trium Lectionum de Sanctis, Absolutio sumitur

Secundum Feriam , Benedictiones verò , ut notantur pro secundo Nocturno in Officio novem Lectionum de Sanctis .

4. Lector petens Benedictio- nem in Choro , dicit *Jube domne* , ( apud Moniales Lectrix dicit *domna* ; ) qui verò solus recitat , dicit absolutè Benedictionem .

5. Quando Dominus Episcopus , Lectionem lectorus est , postquam ipse præmisit ex mo re , *Jube , domne* , dignior post ipsum dicit illi : *Ora pro nobis , Pater* ; ipse autem Episcopus , dicit pro Benedictio ne , *Oro ut caritas* , &c. & dicit Lectionem . Idem observatur ubi unicus est Presbyter , & cùm privatim Officium recitat Sacerdos cum aliis Clericis , inter quos non est alias ab ipso Sacerdos .

6. Ad Absolutiones & Ben diectiones semper respondetur , Amen .

#### C A P U T V I I I .

##### *De Lectionibus.*

1. Lectiones leguntur in quo libet Nocturno post Psalmos , præmisso semper *Pater noster* , &c.

2. In Duplicibus-majoribus & supra ( extra Tempus Paschale ) leguntur novem Lectiones , tres scilicet in quolibet Nocturno ; in Festis autem Duplicibus-minoribus , Semiduplicibus ac Simplicibus , in Fieriis , ac intrà Octavas , & toto Tempore Paschali , in quo Nocturnum unum dicitur , tres tantum Lectiones leguntur .

3. In Officio novem Lectionum , in primo Nocturno leguntur tres Lectiones ex sacra Scriptura , quæ per ordinem

& suâ quâque die in Officio de Tempore occurrunt legenda , nisi aliae suis locis assignentur . In secundo Nocturno leguntur , ut designantur in Proprio . In tertio Nocturno leguntur de Homilia in Evangelium , ut in Proprio assignantur , & primæ Lectioni de Homilia præponitur principium Evangelii quod eo die legitur in Misa . Exciuntur ab hoc Lectionum ordinatio Officium tridui ante Pascha in quo Homilia non leguntur .

4. Si loco ultimæ Lectionis Officii ponи debeat Lectio de aliquo Sancto , vel de Evangelio Dominicæ , aut Feriæ majoris , cùm occurrent , observetur quod dictum est supra , in prima Parte , Cap . XI . *De Commemorationibus* .

5. In Officio trium Lectionum ordinabuntur Lectiones ut sequitur . Si Festum duas habet Lectiones proprias , prima Lectio erit de Scriptura occurrente , tribus in unam coactis ; secunda & tertia de Feste . Si unam tantum habuerit Lectionem propriam , prima & secunda erunt de Scriptura , tribus in duas redactis ; tertia de Feste . In Feriali vero Officio tres Lectiones erunt de Scriptura , nisi legenda sit Homilia pro tertia Lectione ; tunc enim tres Lectiones de Scriptura contrahentur in duas .

6. Quando duæ tantum leguntur Lectiones de Scriptura , quæ prima assignatur , eo die legitur sola ; secunda vero & tertia junguntur in unam .

7. Tempore Paschali , in Festis Sanctorum Annualibus , & Solemnibus-majoribus , prima Lectio erit de Scriptura ; secunda , de Historia Sancti , vel de aliquo sermone in ejus Laudein ;

tertia , de Evangelio illius Officii , cum ejus Homilia. In aliis verò Festis Lectiones ordinabuntur sicut alio Tempore ordinantur , quando tres tantum leguntur Lectiones.

8. Si Tempore Paschali , in Festo non habente Evangelium cum Homilia ad Officium Nocturnum , facienda sit Commemoratio de Officio occurrente quod habeat Evangelium cum Homilia , prima Lectio erit de Scriptura , tribus in unam junctis ; secunda , de Festo , duabus pariter in unam coactis ; tertia de Evangelio & Homilia Officii occurrentis , de quo facienda est Commemoratio.

9. Nulla protrsus esse debet dies in anno , in qua ad Officium Nocturnum non legatur de Scriptura sacra , sive propria , sive occurrente. Si sit Officium novem Lectionum ; tres Lectiones primi Nocturni erunt de Scriptura ; si sit Officium trium Lectionum , prima & secunda Lectio , aut saltēm prima , erunt de Scriptura , juxta regulam suprà posítam.

10. Initia Librorum sacræ Scripturæ nunquam omittuntur ; sed si in die in qua ponitur initium Libri , contingat fieri Officium habens Scripturam propriam , ut sunt Officia Annualia , & Solemnia - majora , tunc initium Libri ponitur die sequenti. Quod si contingat etiam in hac die sequenti ponit initium alterius Libri , ut accidere interdùm potest quando leguntur Prophetæ minores ; tunc , si sit Officium novem Lectionum , prima Lectio erit de inicio Libri die præcedente positi , secunda & tertia Lectio , de inicio Libri hoc ipso die

occurrentis , nisi sit Dominica , in cuius Officio Lectiones assignatae in Breviario nunquam mutantur. Itaque si ultimis duobus post Pentecosten Sabbatis celebretur Festum aliquod Annuale aut Solemne - majus , propriam habens Scripturam , initia Michæ & Malachiæ quæ duobus illis . Sabbatis assignantur , legentur die præcedenti , saltēm pro tertia Lectione ; si fortè duæ priores sint de alio initio ; vel pro secunda , si tertia sit de aliquo Festo occurrente. Si verò sit Officium Semiduplex in quo duæ sint Lectiones de Sancto , tunc hâc vice duæ Lectiones de Sancto coguntur in unam pro tertia Lectione , ut in prima & secunda Lectione ponit possint duo initia Librorum Scripturæ , scilicet diei præcedentis , & diei præsentis Cum autem omittuntur Lectiones de Scriptura occurrente propter Festum habens Scripturam propriam , vel propter initium Libri quod in hanc diem translatum fuerit , non resumuntur illæ Lectiones omissæ , sed eo anno omittuntur , & tantum resumuntur initia Librorum omissorum.

11. Omnia Festa Annualia , & Solemnia - majora , habent proprias de Scriptura selectas Lectiones ; in Solemnibus verò minoribus , & in omnibus aliis Officiis , legitur de Scriptura occurrente.

12. Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo Libri de quo sumuntur ( nisi aliter in propriis locis notetur. ) Lectiones etiam secundi Nocturni , quando sunt ex aliquo Sermoni , Tractatu , Epistolâ , aut alio quovis Libro sanctorum

Fatrum, leguntur cum titulo & nomine auctoris, aliæ minimè; & similiter in tertio Nocturno præponitur titulus, & nomen auctoris cuius est Homilia quæ legitur.

13. Ante quamlibet Lectio-  
nem, nisi aliter notetur, Lector  
petit Benedictionem per verba  
solemnia, *Jube, domine*, & ita  
concludit quamlibet, dicens:  
*Tu autem, Domine, miserere*  
*nostri*, & respondetur, *Deo*  
*gratias*, præterquam in triduo  
ante Pascha, ubi tamen in pri-  
mo Nocturno, loco *Tu autem*,  
dicitur *Jerusalem, Jerusalem,*  
*convertere ad Dominum Deum*  
*tuum*, & nihil respondetur.  
In secundo autem & tertio non  
dicitur *Tu autem*, nec quidquam  
aliud; sicut nec in Nocturnis  
Officii Defunctorum. Eadem  
clausulâ *Jerusalem*, terminan-  
tur omnes Lectiones de Jeremia  
& Baruch, à Dominica Passio-  
nis usque ad Feriam iv. majoris  
hebdomadæ inclusivè. In Ad-  
ventu ad Lectiones de Isaïa,  
etiam in Officio de Sanctis, loco  
*Tu autem*, dicitur, *Hæc dicit*  
*Dominus Deus: Convertimini*  
*ad me, & salvi eritis*, & sic  
terminantur, nihil responden-  
do; aliæ vero Lectiones de  
Prophetis more solito termi-  
nantur.

## C A P U T I X.

*De Responsoriis post Lectiones.*

1. Post quamlibet Nocturni  
Lectio-  
nem, & post Capitu-  
lum primarum Vesperarum  
Duplicium-majorum, ac etiam  
à Septuagesima usque ad Pascha  
in secundis Vesperis Solemniū  
minorum & suprà dicitur Res-  
ponsorium.

2. Sumuntur autem Respon-  
soria in Officio de Tempore,  
ex eo loco ubi primò sunt po-  
sita, scilicet die quo inchoatur  
unus ex sacræ Scripturæ Libris;  
& repetuntur, quandiu de illo  
Libro legitur.

3. In Officio autem de Sanctis,  
sumuntur ex Proprio aut ex  
Comuni Sanctorum.

4. In Officio trium Lectionum,  
cujus Responsoria ex Officio  
novem Lectionum sumenda  
sunt, sumuntur hoc ordine:  
Feriâ secundâ & quintâ, è  
I Nocturno; Feriâ tertiatâ & sex-  
tâ, è II Nocturno; Feriâ quartâ &  
Sabbato, è III Nocturno.

5. In Feriali Officio (extra  
Tempus Paschale) Responsoria  
sumuntur ex Dominica præce-  
denti, nisi aliter notetur, aut  
propria Responsoria huic Feriæ  
assignentur. Sumuntur autem  
alternatim ex primo & secundo  
Nocturno, hoc ordine: Feriâ  
secundâ, quartâ & sextâ, è  
I Nocturno; Feriâ tertiatâ, quintâ  
& Sabbato, ( si fiat de Feria )  
è II Nocturno. Cùm autem  
Responsoria propria cuidam  
Feriæ assignantur, & eâ die dicî  
non possunt, propter Festum  
occurrens de quo eâ die erat  
Officium, hæc Responsoria pro-  
pria huic Feriæ non resumuntur  
in alia Feria, sed omittuntur  
eo anno. Responsoria vero quæ  
in aliqua Dominica ponuntur,  
tamdiu resumuntur in Officio,  
seu Feriarum, seu etiam Do-  
minicarum sequentium, quam-  
diu alia Responsoria non assi-  
gnantur. In Feriis Temporis  
Paschalis, Responsoria dicuntur  
ut ibidem notatur.

6. In Responsoriis tres partes  
distingui solent, quatum prima

Initium, secunda Reclamatio, tertia Versus dicitur. Reclamatio distinguitur ab Initio per Asteriscum \*, & semper post Versum integra repetitur.

7. Præterea post Versum & reclamationem additur *Gloria Patri* ad ultimum cujusque Nocturni Responsorium, & ad Responsoriū Vesperarum ubi dicitur (præterquam in Officio, Defunctorum, in Compassione Beatæ Mariæ Virginis, & in omni Officio de Tempore à Dominica Passionis ad Pascha:) & post *Gloria Patri* iterum repetitur Reclamatio; vel, si divisionem habeat, ejus ultima pars quæ hæc notulâ † signatur.

8. Circa Responsoriā tam Vesperarum quam Officii Nocturni, hæc sunt observanda: In Annualibus quibuscumque ad I. Vespertas post *Gloria Patri*, fit reclamatio ab Asterisco \* vel †, & repetitur ex integrum usque ad v. & sic ad III. VI. & IX. Officii Nocturni, in Annualibus-majoribus tantum; præterea dicitur in iisdem Annualibus majoribus *Gloria Patri* ad omnia r. sed in duobus prioribus cujusque Nocturni fit tantum reclamatio. In Solemnibus quibuscumque ad I. Vespertas, post *Gloria Patri*, omissa reclamatione repetitur ex integrum usque ad v. In Solemnibus minoribus v. ultimum Officii Nocturni repetitur post *Gloria*. usque ad v. In Annualibus minoribus & Solemnibus majoribus r. III. VI. & IX. Officii Nocturni resumuntur post *Gloria*. usque ad v.

9. In Dominicis, & Duplicibus, in quibus *Te Deum* non dicitur, statim in ultimo Res-

ponsorio, post *Gloria Patri*, omissa, quæ sequi deberet, Reclamatione, resumitur Responsoriū usque ad Versum exclusivè.

10. At in Dominicis Passionis & Palmatum, ac in Officio Compassionis, & tridui ante Pascha, in nono Responsoriō fit statim Resumptio post Reclamationem quæ Versum fequitur; eo enim tempore non dicitur *Gloria Patri*. In Officio quoque Defunctorum, propter eamdem rationem, Responsoriū ultimum, *Libera*, repetitur ab Initio post ultimum Versum & ejus Reclamatiōnem.

11. In aliis Feriis, et si *Te Deum* non dicitur, non resumitur Responsoriū ultimum Nocturni, sed Reclamatio tantum.

#### C A P U T X.

##### *De Cantico Te Deum.*

**I**N omni Festo Simplici & supra, & intrâ quamcumque Octavam per annum, ac in Officio de Beata Maria in Sabbato, ac per omne Tempus Paschale, post ultimum Responsoriū dicto *Gloria Patri* cum ejus Reclamatione vel post Resumptionem, dicitur immediate *Te Teum*, exceptis Dominicis Adventūs, & à Dominica in Septuagesima usque ad Pascha; necnon Festis quinque Plagarum Christi, ac aliorum Mysteriorum Passionis quæ Feriis sextis Quadragesimæ celebrantur, & Compassionis Beatæ Mariæ, quorum Officia pro Quadragesimalibus habentur, ac, ipso Tempore Paschali Feriâ secundâ Rogationum.

## C A P U T X I .

*De Versu Sacerdotali.*

**V**ersus Sacerdotalis dicitur à Sacerdote post ultimum Responsorium , vel post Te Deum quando dicitur ; quem Versum ( nisi continuò sequantur Laudes ) excipiunt in Feriis majoribus Preces positæ ad Tertiam ; aliis vero diebus Collecta tantum , cum Dominus vobiscum , vel Domine , exaudi , ante & post , & ultimò Benedicamus ; & sic Officium Nostis terminatur per hunc Versum.

## C A P U T X I I .

*De Collecta , seu Oratione.*

1. **O** Ratio in Nōcturnis , si Laudes iis non jungantur , dicitur post Versum Sacerdotalem : in Laudibus & Vespereis , post Antiphonas ad Benedictus & ad Magnificat , nisi quando dicendæ sunt Preces quæ dicuntur post Antiphonam ; & in fine illarum , Oratio : ad Horas diei , post Versiculum qui Responsorium breve sequitur , nisi dicendæ sint Preces ; tunc enim Oratio dicitur post ultimum Versiculum Precum : ad Primam & Completorium , post Preces , nisi aliter notetur.

2. Ad Primam & Completorium , non mutatur Oratio quæ habetur in Psalterio , præterquam in triduo ante Pascha , & die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum . In aliis Horis dicitur Oratio quæ assignatur ih Proprio.

3. Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in Feriali Officio per hebdomadam , quando propria non assignatur.

4. In Quadragesima , Quatuor Temporibus , & Feriis Rogatio-

num , Oratio quæ dicta est in Laudibus , dicitur tantum ad Tertiam , Sextam & Nonam . In Vesperis autem sequentibus , si fiat de Feria , dicitur , vel alia propria , ut in Quadragesima , vel Dominicæ præcedentis , ut in aliis Feriis.

5. Ante Orationem dicitur Dominus vobiscum , non tamen ab eo qui solus recitat , nec ab eo qui non est saltem in ordine Diaconatus , nec à Diacono , præsente Sacerdote , nisi de illius licentia , nec à Monialibus , etiam consecratis ; sed ab iis omnibus ejus loco dicitur , Domine , exaudi , deinde Oremus . In fine Orationis , postquam responsum fuerit , Amen , repetitur Dominus vobiscum , vel Domine , exaudi , postea Benedicamus , & respondetur Deo gratias , quod semper servatur in fine primæ Orationis , sive unica , sive plures dicantur . Quo lì si plures Orationes dicendæ sint ( ratione Commemorationum ) ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona & Versiculus , deinde Oremus , & post ultimam Orationem itetum repetitur Domine , exaudi , vel Dominus vobiscum & Benedicamus , & statim secreto dicitur Versus Fidelium animæ , si aliud Officium non sequatur . Ad Primam non dicitur , et si sepiùs immediate non succedit Tertia , si saltem Officium Capituli sequitur : similiter nec post aliam Horam quamcumque cui sufficiuntur , vel Officium parvum Beatæ Mariae , vel Officium Defunctorum , vel Psalmi Pœnitentiales , aut Statio , aut Procellio , aut Missa , aut Concilio , aut Psalmus , sive Canticum pro Rege , aut pro

aliqua necessitate , aut aliud ejusmodi.

6. Quando Oratio dirigitur ad Patrem , sic concluditur : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum , qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus , per omnia secula seculorum. R. Amen.* Si ad Filium , *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus , per omnia secula , &c.* Si in principio vel serie Orationis fiat mentio Filii , dicitur : *Per eundem Dominum nostrum , &c.* Si in fine Orationis , dicitur : *Qui tecum vivit & regnat in unitate , &c.* Si fiat mentio Spiritus sancti , dicitur : *In unitate ejusdem Spiritus sancti Deus , &c.* In Orationibus pro Defunctis , nisi aliter notetur , dicitur : *Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos , & seculam per ignem. R. Amen.*

7. Quando plures Orationes dicendae sunt , prima tantum & ultima dicuntur cum magna conclusione , *Per Dominum nostrum , &c. vel aliter , ut supradictum. Intermedio autem sic concluduntur : Per Christum Dominum nostrum. R. Amen. vel : Per eundem Christum , &c. vel : Qui vivis & regnas Deus. R. Amen. vel : Qui tecum vivit & regnat Deus. R. Amen.*

8. Notandum autem quod unicuique Orationi præmittitur *Oremus , & levis pausa , præterquam in Officio Defunctorum , & in Litanis , cum plures Orationes dicuntur conjunctim sub uno Oremus.*

9. In Orationibus & Versiculis in quibus notatur N. pronuntiatur nomen baptismale ejus de quo fit mentio.

## C A P U T X I I I .

*De Oratione Dominica , & Salutatione Angelica.*

1. *O Ratio Dominica Pater , & Salutatio Angelica Ave ,* dicuntur secretò ante Horas quaslibet , excepto Completerio , post cujus finem dicuntur. Si Hora jungatur præcedenti Officio , non dicuntur ante ejus initium.

2. Quando Oratio Dominica dicitur cum Precibus , dicitur secretò usque ad *Et ne nos , quod altâ voce profertur.* Id quoque observatur in medio cujusque Nocturni , præterquam triduo ante Pascha , quo tempore Pater dicitur totum secretò.

3. In fine uniuscujusque Horæ , nisi aliud Officium sequatur , dicto submissiōni voce , *Fidelium animæ ,* dicitur etiam secretò , *Pater noster.*

4. Salutario Angelica sola dicitur ante Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis , quando non jungitur Officio Canonico.

## C A P U T X I V .

*De Symbolo Apostolorum , & Symbolo Quicunque.*

1. *S Ymbolum Apostolorum Credo in Deum ,* dicitur integrum secretò post Ave , ante Officium Nocturnum , & post finem Completerii.

2. *Symbolum Quicunque ,* dicitur ad Primam post Psalmos omnibus Dominicis in quibus Officium fit de Dominica ut in Psalterio , etiam Tempore Paschali , & in Festo Trinitatis , non autem intrâ Octavam. In fine illius dicitur *Gloria Patri ut in fine Psalmorum.*

## C A P U T X V .

*De Capitulis & Canone.*

1. **C**apitula dicuntur ad Vesperas, Laudes, & alias Horas post Psalmos, & Antiphonas; ad Completoium vero, post Hymnum.

2. Nullum legitur Capitulum ad Laudes Natalis Domini, neque in toto Officio a Vesperis Feriae quartae majoris Hebdomadæ inclusivè ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, neque in Officio Defunctorum.

3. Capitula Primæ & Completorii dicuntur semper ut in Psalterio.

4. In Horis omnibus ad Capitulum, quodcumque sit, respondetur *Deo gratias.*

5. Ad Primam, legitur singulis diebus Canon, ut habetur a calce Breviarii, nisi aliud assignetur in Proprio Sanctorum pro quibusdam Festis: tunc enim Canon qui eâ die occurrit in Proprio de Tempore, omittitur. Non dicitur Canon in triduo ante Pascha. Quod si dimittantur aliquæ Lectiones Scripturæ, ut alius Liber Scripturæ inchoetur, (sicut interdum accidit intrâ Octavam Epiphaniæ) omittuntur etiam Canones notati pro diebus quorum Scriptura dimittitur, & sumuntur Canones relativi Scripturæ quæ tunc incipit.

## C A P U T X VI .

*De Responsoriis brevibus.*

1. **R**esponsoria brevia dicuntur post Capitulum ad Horas minores tantum, id est, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Completorium, præterquam in Feria quinta in

Cœna Domini usque ad Dominicam in Albis exclusivè, & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibus diebus non dicuntur.

2. Quando fit Officium de Dominica aut Feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio; in Adventu autem, Septuagesimâ, Quadragesimâ, Tempore Passionis, & Paschali, quibus Capitula de Psalterio mutantur, mutantur etiam Responsoria brevia, & dicuntur, ut in propriis locis notantur. In Festis, si propria desint, dicuntur ut in Communis Sanctorum.

3. A Dominica Passionis inclusivè usque ad Pascha, in Responsoriis tam brevibus quam prolixis Officii cujuscumque de Tempore, *Gloria Patri*, non dicitur; sed post Versum & ejus Reclamationem repetitur ab initio Responsorium breve usque ad Versum.

4. In Responsorio brevi, *Christe*, ad Primam, *¶. Quæ sedes*, qui dicitur per annum, mutatur aliquando in Officio, sive de Tempore, sive de Sanctis, prout in propriis locis notatur.

5. In omnibus Festis Solemnibus, & Annualibus, (præterquam à Septuagesima ad Pascha,) & à Natali Domini ad Octavam Epiphaniæ, & toto Tempore Paschali & intrâ Octavas Annualium, in fine Responsiorum brevium Tertiæ, Sextæ & Nonæ, ante Versum dicuntur duo *Alleluia*, quæ etiam post dictum versum pro Reclamacione repetuntur. Responsoria brevia Primæ & Completorii nunquam mutantur; nec *Alleluia*

iis unquam additur, etiam Tempore Paschali.

remanentibus genuflexis, & ad Altare converstis.

## CAPUT XVII.

*De Precibus.*

1. **P**Reces constant aliquot Versiculis, qui sive pluribus, sive paucioribus, pro dierum diversitate, dicuntur ante Orationem, præmisso *Kyrie eleison*, & *Pater noster*.

2. Preces hæc non dicuntur in Semiduplicibus & suprà, nec à Vigilia Natalis Domini usque ad Præsentationem ejusdem, nec à Feria quarta majoris Hebdomadæ inclusivè ad Trinitatem, nec intrâ quascumque Octavas.

3. Preces Feriales ad Laudes & Horas diei dicuntur in Feriis Adventūs, Quadragesimæ, & IV. Temporum, exceptis IV. Temporibus Pentecostes; ac etiam in Vigiliis, exceptis majoribus, de quibus dictum est Parte I. Cap. VIII. *de Officio Vigiliarum*. Dicuntur etiam ad Vespertas in Feriis Quadragesimæ.

4. Quotiescumque autem ad Laudes & ad Vespertas preces dicuntur, si sit dies jujunii, dicuntur flexis genibus, similiter ad alias Horas; alias flexis genibus non dicuntur.

5. Quando dicuntur Preces flexis genibus, ceteris genua flectentibus, & converstis ad Altare, Celebrans solus genua flectit conversus ad Chorum, & incipit *Kyrie*, & in eodem ritu cetera prosecutur usque ad *Dominus vobiscum*.

6. Ad *v. Dominus vobiscum*, surgit, & elevat vocem, ac pronuntiat Orationem, ceteris usque ad finem Orationis Officii

## CAPUT XVIII.

*De Suffragiis.*

1. **S**Uffragia, seu Commemorationes Communes de Beata & de Sanctis, dicuntur in fine Laudum & Vesperatum ab Octava Natalis Domini ad Dominicam Passionis, & à Trinitate ad Adventum exclusivè, in Feriis & aliis Simplicibus, eo modo qui sequitur.

2. Commemoratio de Beata, quæ habetur in Proprio Sanctorum die ij. Januarii, quotidie fit ab eo die ( exceptis Festo & Octavâ integrâ Epiphaniæ ) usque ad Præsentationem Domini exclusivè, etiam in Duplicibus majoribus, non autem in Solemnibus quibuscumque ac Annualibus, nec per eorum Octavas. In Simplicibus vero & Feriis ejusdem Temporis alia Suffragia non dicuntur.

3. Commemoratio de Cruce, cum ceteris quæ in Psalterio sequuntur, fit tantum in Feriis à Præsentatione Domini ad Dominicam Passionis, & à Trinitate ad Adventum. A Dominica vero in Albis ad Ascensionem, in Feriis, ac etiam in Festis Simplicibus, fit memoria de Cruce, prout habetur in Proprio de Tempore post Dominicam in Albis; tuncque non sunt alia Commemorations.

4. Commemoratio de Beata posita in Psalterio, non fit ubi ejus Officium parvum dicitur.

5. Commemoratio de Patrone ac titulari fit post Commemorationem de Beata. Quod si in Ecclesia sub titulo sanctæ Trinitatis, aut alicujus ex Per-

sonis divinis dedicata sic , tunc fit ante Commemorationem Crucis : si autem sub titulo aliquius ex Mysteriis Christi Domini , fit de iis quæ Passionem ejus præcesserunt ante Commemorationem Crucis ; post ipsam verò , de iis quæ subsecuta sunt.

- 6. Si facienda sit Commemoratio alicujus Festi occurrentis , fit ante ipsa Suffragia , etiam ante Commemorationem de Cruce.

## C A P U T X I X.

*De Officio parvo Beatae Mariae , & Antiphonis de eadem in fine Officii.*

1. **O**fficium parvum Beatae Marie quando & quomodo dici debeat , habentur Rubricæ propriæ suo loco , in fine Breviarii.

2. Antiphonæ autem de eadem positæ in fine Psalterii post Completorium , variantur pro Temporis diversitate , ut ibidem annotatur.

3. Dicuntur autem tam in

Choro quam extrâ Chorum , & quidem flexis genibus , exceptis Dominicis & Festis Domini à primis Vesperis , & toto Tempore Paschali.

4. Illæ Antiphonæ non dicuntur in triduo ante Pascha.

## C A P U T X X.

*De Psalmis Pœnitentialibus , & aliis usque ad finem Breviarii.*

1. **P**salmi Pœnitenciales dicuntur in Choro Feriâ quartâ Cinerum post Sextam , ac Feriâ quintâ in Cœna Domini post Nonum , ut habetur in Missali.

2. De Officio Defunctorum , & Commendationibus , & Benedictione mensæ , ac Itinario , habentur suis locis propriae Rubricæ , circa finem Breviarii.

3. Psalmi autem Graduales , qui indicantur post indicem Psalmorum ad finem Breviarii , dicuntur ad Processionem , triduo Rogationum , eo modo qui in Processionali designatur.



# SERIES TITULORUM

*Sub quibus ordinantur CANONES Conciliorum  
ad calcem Breviarii distributi.*

1. **D**E Adventū Tempore. De reverentia sacris Scripturis debita , & de sacrorum Canonum auctoritate atque observantia : à Dominica I. Adventū , ad finem ejusdem hebdomadē.
2. De tyrocinio Clericali , Tonsura & Minoribus Ordinibus : à Dominica II. Adventū , ad tertiam.
3. De Jejuniis Quatuor Temporum , & de Ordinationibus : à Dominica III. Adventū , ad quartam ; item & in Quatuor Temporibus Septembri.
4. De functionibus & officiis sex Ordinum inferiorum : à Dominica IV. Adventū , usque ad Vigiliam Natalis Domini.
5. De solemi Presbyterorum officio , & partibus muneris eorum ordinarii , ac operis : à die 26 Decembris , ad Epiphaniam Domini.
6. De hierarchicis Presbyterorum functionibus Episcoporum auctoritati specialiter subordinatis : à die 7 Januarii . ad Octavam Epiphaniae.
7. De virtutibus Clero necessariis , ac primū de obedientia erga Superiores præscripta , & unitate in ministerio servanda & inservianda : à Dominica I. post Epiphaniam , ad Dominicam tertiam.
8. De spiritu paupertatis & modestia Ecclesiastica in possessione , usu , & acquisitione terum temporalium : à Dominica III. post Epiphaniam , ad Dominicam sextam.
9. De castitate , verecundia , & temperantia Clericali : à Dominica VI. post Epiphaniam , ad Dominicam Quintagesimā.
10. De præparatione ad Quadragesimalē pœnitentiam : Dominica Quinquagesimā , & Feria II. & III. sequentibus.
11. De Jejunio & observantia Quadragesimali : à Feria IV. Cinerum , ad Feriam sextam Hebdom. I. Quadragesimā.
12. De Sacramento pœnitentiae in genere : Feria VI. & Sabbato Quatuor Temporum Quadragesimā.
13. De Contritione & Confessione ; item de Confessariorum officio : à Dominica II. Quadragesimā , ad Dominicam quartam.
14. De Satisfactione & Indulgentiis : à Dominica IV. Quadragesimā , ad Dominicam Palmarum.
15. De annua peccatorum Confessione & Paschali Communione unicuique adulto præscriptis. De prima Communione , & requisitis ad sacræ Eucharistie perceptionem dispositionibus : à Dominica Palmarum , ad Sabbatum in Albis inclusivè.
16. De Sacrificio Missæ à Sacerdotibus ritè celebrando , & de pietate quâ fideles huic

adstant debent : à Dominica in Albis, ad Dominicam quartam post Pascha.

17. De verbi divini prædicatione : à Dominica IV. post Pascha, ad Dominicam quintam.

18. De Rogationibus, aliisque Supplicationibus Processionis nomine designatis : à Dominica V. post Pascha, ad Ascensionem Domini.

19. De Baptismo, ejusque cætemonyis : à Feria VI. intra Octavam Ascensionis, ad Pentecosten.

20. De Sacramento Confirmationis : per totam Hebdomadam Pentecostes.

21. De Feste SS. Trinitatis, & Pueris in ejus ceterorum mysterium fide instituendis : ab ipso die SS. Trinitatis, ad Feriam quartam sequentem inclusivè.

22. De Solemnitate Corporis Christi, & latiæ cultu interno & externo ei debito : die Festa Corporis Christi, & fer Oœlam.

23. De Sacramentis Viatici & Extremæ-Unctionis, & reliquo Sacerdotali ministerio erga infirmos : à Feria VI. post Octavam Corporis Christi, ad Dominicam quartam post Pentecosten.

24. De Sacramento Matrimonii : à Dominica IV. post Pentecosten, ad Dominicam sextam.

25. De nominatione & institutione canonica ad Beneficia & dignitates Ecclesiasticas : à Dominica VI. post Pentecosten, ad Dominicam septimam.

26. De Prælatorum residen-

tia, & Pastorali sollicitudine : à Dominica VII. post Pentecosten, ad Dominicam ottavam.

27. De Visitatione Episcopali : à Dominica VIII. post Pentecosten, ad Dominicam nonam.

28. De Conciliis, & de Synodis Diœcesanis : à Dominica IX. post Pentecosten, ad Dominicam decimam.

29. De Pontificum vita domestica, & de viris Ecclesiasticis quorum operâ utuntur in Diœceseon regimine : Dominicæ & Hebdomadæ X. post Pentecosten.

30. De moribus & officiis Canonicorum : Dominicæ & Hebdomadæ XI. post Pentecosten.

31. De Officii divini publica celebratione, & privata recitatione : à Dominicæ XII. post Pentecosten, ad usque Dominicam XV.

32. De Precibus pro Defunctis ; de Exequiis & Cœmertiis : Dominicæ & Hebdomadæ XV. post Pentecosten.

33. De ambitione à Clericis fugienda : Dominicæ & Hebdomadæ XVI. post Pentecosten.

34. De Scholis, Seminariis, & Collationibus Ecclesiasticis : Dominicæ & Hebdomadæ XVII. post Pentecosten.

35. De iis qui penitentiam tantum in extremis vitæ postulant : Dominicæ & Hebdomadæ XVIII. post Pentecosten.

36. De Excommunicatione : Dominicæ & Hebdomadæ XIX. post Pentecosten.

37. De Ecclesiasticorum conversatione cum laicis & mulieribus : Dominicæ & Hebdomadæ XX. post Pentecosten.

38. De fugienda à Clero  
avaritia : *Dominicā & Hebdo-  
madā XXI. post Pentecosten.*

39. De Potestate Civili &  
Ecclesiastica , & obsequio ipsis  
debito : *Dominicā & Hebdomadā  
XXII. post Pentecosten.*

40. De miraculis ; de Sancto-  
rum reliquiis & imaginibus : *Do-  
minicā & Hebdomadā XXIII.  
post Pentecosten.*

41. De Hæreticis : *Dominicā  
& Hebdomadā XXIV. post  
Pentecosten.*


42. De reverentia Ecclesiis  
aliisque locis sacris debita :  
*Dominicā & Hebdomadā III.*

*que superfuit post Epiphaniam.*

43. De sanctificatione diei  
Dominicæ , aliarumque Festi-  
vitatum : à *Dominicā IV.* que  
*superfuit post Epiphaniam, ad  
Dominicam V.*

44. De operibus caritatis &  
misericordiæ erga proximum ,  
& domos hospitales pauperum  
& infirmorum : *Dominicā &  
Hebdomadā VI. que superfuit  
post Epiphaniam.*

*In hac serie non comprehen-  
duntur Festa & Solemnitates ,  
que proprios habent Canones  
ratione peculiaris ritus , aut  
disciplinae predilectis Solemnisa-  
tibus congruentis.*



IN FESTO PRINCIPALI .  
**PATRONI PRIMARII**  
 SEU TITULARIS  
 ALICUJUS ECCLESIAE,  
*ANNUALE-MAJUS.*

¶ Si Officium desit in Breviario, aut non habeatur infrà in ordine quorumdam Officiorum qua pro certis Festis disposita sunt, vel non sit proprium à DD. Episcopo approbatum, omnia sumuntur de Communi tam in Breviario, quam in praesenti Supplemento, servato aliundè ritu Annuali-majori.

**IN I. VESPERIS.**

Psalmi sumuntur de Feria occurrente.

¶ Post ultimam reclamationem repetitur ab initio usque ad ¶. Duplicatur Antiph. ad Magnificat.

AD COMPLETORIUM, Psalmi & Capitulum de Feria.

AD OFFICIUM NOCT. Psalmi proprii sive ut in Breviario, sive ut in hoc Supplemento designati sunt.

IN I. NOCT. Lectiones dicuntur, prout habentur infrà.

IN II. NOCT. si nihil habetur in Breviario de

Sancto cuius fit Officium, tres Lectiones pariter dicentur ut h̄c notantur pro unoquoque Communi. Si vero vel una, vel dua Lectiones in Breviario de illo Sancto habentur, preferentur his qua h̄c notantur; quibus proinde locus non erit, nisi quando vel nullæ propria aderunt, vel non sufficient, aut dividi comode non poterunt; & tunc pro secunda vel tertia sumuntur qua prima vel secunda in unoquoque Communi h̄c ponuntur.

IN III. NOCT. Lectiones dicentur ut in Breviario vel Supplemento notantur.

Ad singula Responsoria additur Gloria Patri, & tertium cujusque Nocturni post ultimam reclamationem repetitur ab initio usque ad ¶.

AD LAUDES, Psalmi de Dominica, cum Cantico h̄c notato pro unoquoque Communi. Duplicatur Antiph. ad Benedictus.

AD HORAS, Psalmi de  
Dominica. Non dicitur  
Symbolum Quicunque.

C A N O N .

Ex sancto Cælario Episcopo.

Serm. 280. in Append.  
apud August.

**I**Deò à Sanctis Pátribus nostris constitútum est Christiánis & mandátū, ut in solemnitatibus Sanctórū, & máxime in Domínicis diébus ótium habérent, & à terréno negótio vacárent; ut paratióres & promptiós essent ad divinum cultum, cùm non habérent quod eos indè retardáret incómodum; relinquerentque eo témpore terrénam sollicitúdinem, quò faciliùs possent Dei inténdere voluntátem.

AD VESPERAS, Psalmi proprii sive in Breviario, sive in Supplemento designati.

AD COMPLETORIUM,  
Psalmi & Capitulum de  
Dominica.

FESTUM Patroni primarii principale semper habet Octavam; nisi venerit in Quadragesima, aut intrà solemnitatem Antiphonarum majorum O.

D I E B U S  
INTRA OCTAVAM.

Officium fit ritu Semiduplici. De Festo Duplici minore, & suprà, fiet Officium cum Commemoracione

Octava in utrisque Vesperiis & Laudibus (nisi sit de Fecto Annuali aut Solemni-majori Domini.) De semiduplici verò & simplici fiet sola Commemoratio in Officio Nocturno per iij Lætionem, & in utrisque Vesperiis & Laudibus, si sit Semiduplex; si verò sit Simplex, in primis Vesperiis & Laudibus tantum.

Omnia ut in die, exceptis qua sequuntur.

Psalmi de Feria ad omnes Horas.

AD OFFICIUM NOCT. tres Antiph. v. & b. ex uno Nocturno Festi secundum Feriam. Lectio j. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; ij. & iij. ut habentur infra pro qualibet die.

AD LAUDES, Psalmi sub unica Antiphona, 4. de Laudibus Festi. Canticum ut in die.

AD PRIMAM, Canon de Feria.

AD HORAS, in brevibus adduntur duo Alleluia, etiam in Festis occurrentibus, nisi hac Octava occurat à Septuagesima ad Cineres.

AD VESPERAS, Psalmi sub una Antiphona, vel propria, vel prima de Vesperis diei. Omittitur Alleluia, cum suo versu.

AD COMPLETORIUM, ut in die.

**D O M I N I C A**  
I N T R A O C T A V A M .  
*Totum Officium fit de  
Domin. cum Commemora-  
tione Octavæ in utrisque  
Vesperis & Laudibus.*

**L E C T I O N E S**  
I N T R A O C T A V A M .

D I E I I .

*LECTIO ij.*

Sermo sancti Basili Episcopi.

*Orat. in 40. Mart.*

**H**I sunt qui acceptam à Deo nostram régionem, quasi turres quædam contra adversariorum incursum munientes, refugium exhibent. Beneficium hoc, fratres dilectissimi, gratiā hanc minime cef-santem à Deo obtinēmus. Paratum est hic Christiánis auxilium. Qui aliquā prémitur angustiā, ad hos cōfugit; qui rursus lætatur, ad hos recurrit: hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc mīlier orans pro filiis auditur, peregrinanti viro redditum incolumem, agrotanti verò salutem implorat & obtinet.

*LECTIO iij.*

**O** Sanctum Chorum! ô sacrum ordinem! ô cūneum inexpugnabilem! ô communē humani gēneris custodes! óptimi curarum socii, precum ac votorum

invicem suffragatōres! legati apud Deum potentissimi! astra mundi, flores Ecclesiārum, vos non terra contextit, sed cœlum excepit. Apertæ sunt vobis paradisi portæ, dignum profecto exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophétis & Justis omnibus spectaculum.

**D I E I I I .**

*LECTIO ij.*

Sermo sancti Augustini Episcopi.

*Trāt. 1. in C. 2. Ep. Joan.*

**J**oannes quid dixit? Si quis peccaverit, ad vocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum. Sed dicet aliquis: Ergo Sancti non pertinet pro nobis? Ergo Episcopi & Praepositi non pertinent pro populo? Sed attendite Scripturas, & videte quia & Praepositi commendant se populo. Nam Apóstolus dicit plebi: Orantes simul & pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe, orat plebs pro Apóstolo. Oramus pro vobis, fratres; sed & vos, orate pro nobis. Invicem pro se omnia membra orient: Caput pro omnibus interpellat.

*LECTIO iij. Serm. 280.*

**B**enedixit Dóminus pullos cum magnis. Non nobis parum videátur quod ejus corporis membra su-

mus, cujus & illi quibus æquiparari non possumus. Quia si unum membrum patitur, compatiuntur omnia membra; ita, cum glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Glória capitū, unde consūlitar, & superiōribus mānib⁹, & infimis pēdib⁹. Sicut ille unus ánimam suam pro nobis posuit, ita & imitati sunt Mártyres, & áimas suas pro frátribus posuérunt. Fructus labóris ergo illorum étiam nos sumus. Mirámur eos, miserantur nos. Gratulámur eis, precantur pro nobis.

## D I E I V.

## LECTIO ij.

Sermo sancti Bernárdi  
Abbatis.

*In Vigil. SS. Petri & Pauli.*

**T**ria sunt quæ in festivitatibus Sanctórum vigilanter considerare debémus: auxílium Sancti, exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante faciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hīc viveret, misertus est peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tanto amplius, quando vérius agnoscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritatem ejus non

immutávit, sed augmén-távit; neque enim quia impasibilis omnínō, ídeo & incompassibilis factus est.

## LECTIO iij.

**D**ebémus étiam atténdere exemplum ejus; quia quádiu in terris vi-sus est, & cum homínibus conversátus est, non declinávit ad déxteram, neque ad sinistram; sed viam régiam tenuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego sum via, véritas & vita. Intuémini humilitatēm óperum ejus, auctoritatēm verborum ejus; & tunc videbitis quomodò tam verbo quām exemplo luxerit inter homines, quália nobis vestigia dereliquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.

## D I E V.

## LECTIO ij.

De Sermóne sancti Bernardi  
Abbatis.

*In Vigil. SS. Petri & Pauli.*

**D**iligentiori intúitu, in festivitatibus Sanctórum, confusiónem nostram inspiciámus; quia homo ille similis nobis fuit pas-sibilis, ex eódem luto for-mátus, ex quo & nos. Quid ergo est quòd non solum difficile, sed & im-possible crédimus ut fa-

ciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiscámus. Hómines isti fuérunt qui præcessérunt nos, qui tam mirabiliter processerunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo & gaudére, & confundi debémus: gaudére, quia patrónos præmíssimus; confundi, quia eos imitári non pòssumus.

## LECTIO iii.

**I**Ta semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condiri debet; ut semper non solum extréma, sed & prima gáudii luctus occupe; quia etsi magna est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam, imitári. Orémus ergò eos, ut ipsi propítium nobis reddant amicuum suum, iúdicem nostrum, qui est Deus benedictus in sécula. Amen.

## DIE VI.

## LECTIO ii.

De Sermóne sancti Bernardi Abbatis.

*In Fest. om. SS. Serm. 2. §. 1.*  
Erit, præstante Dómino, E triplex sermónis ( de Sanctórum felicitate ) utilitas, quátenus ágnitá, vel ex parte aliqua, felici retributíone Sanctórum, abun-

dantióri deinceps sollicitudine ipsorum inherére vestigiis, ac ferventióri desidério ad eórum suspirare consörtia, propensiōri quoque devotione eorumdem nos commendare patrocíniis studeámus. Fidélis quippe sermo, & omni acceptiōne dignus; ut quos solemni veneratiōne profequimur, etiam simili conversatiōne sequámur. Quos beatissimos prædicámus, ad eórum beatitudinem totā aviditatē currámus: quorum delectámur præcóniis, sublevémur eórum patrocíniis.

## LECTIO iii.

**N**Ec sanè parùm fructuosa invenitur memória festiva Sanctórum, languorem, reporem, erroremque depellens: cùm eórum intercessióne juvétur infirmitas nostra, consideratiōne beatitudinis excitetur negligéntia nostra, ignorantiā quoque nostra ipsorum erudiatur exemplis.

## DIE VII.

## LECTIO ij.

De Sermóne sancti Cæsarii Episcopi.

*Serm. 239. in Aop. ap. Aug.*

**Q**uando festivitátes colimus, fratres caríssimi, diligenter debémus atténde; re, & totis viribus laborare, ut quod visibiliter colitur, in nobis invisibiliter compleáatur. Qui nec casti-

tátem custódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóries sanctæ solemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gáudium, in corde non célebrat nisi luctum. Quale enim gáudium potest habére, in cuius áнима multis vitiis occupáta magis diábolus probátur habitare quám Christus? Nos verò, frátres caríssiimi, etiam si nobis álqua, ut solet fieri, peccáta subrépunt, quantum póssumus, cum Dei adjutorio laborémus, jejuniis, vigiliis, orationibus, eleemosynis mundáre sordida; ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod oculos suæ majestatis offendat.

*LECTIO iiiij. Serm. 265.*

**F**ílios & omnes famílias vestras admonéte, frátres, semper ut castè & justè ac salúbriter vivant: nec solùm eos verbis, sed etiam exemplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicumque fuéritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convívio, sive in confessu, verba túrpia & luxuriósa nolíte ex ore vestro proferre; sed magis vicinos & próximos vestros júgiter admonéte, ut semper quod bonum est & honestum, loqui studeant; ne fortè detrahendo, malè loquendo, & in sanctis festivitatibus choros ducendo, canticá luxuriósa & túrpia

proferendo, de lingua sive unde debuerant Deum laudare, inde sibi vúlnera videantur infligere. Isti enim infelices & miseri homines, qui balatiónes & saltatiónes ante ipsas Basilicas Sanctorum exercére nec métuunt, nec erubescunt, et si Christiani ad Ecclésiam vénérint, pagáni de Ecclésia revertuntur; quia ista consuetúdo balandi de paganórum observatione remansit.

*VESPERÆ de die Octava ut in I. Vesperis Festi, servato ritu Duplici majori.*

OCTAVA PATRONI,  
S E U T I T U L A R I S.

*D U P L E X - M A J U S.*

*Omnia ut in die Festi, servato ritu Duplici-majori. Psalmi de Feria ad omnes Horas.*

*I N I. N O C T U R N O.*

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

*I N II. N O C T U R N O.*

*LECTIO iv.*

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

*Serm. 5. de omnib. Sanctis.*

**N**on tantummodo societas, sed etiam felicitas nobis est optanda Sanctorum, ut quorum desiderámus præsentiam, gloriari quoque ferventissimis studiis ambiámus. Ne-

que enim perniciosa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ ullatenus periculosa est. Sanè ut eam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem adspirare, summóperè nobis desideranda sunt suffragia quoque Sanctorum: ut quod possilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Nostis ipsi periculum nostrum, nostis figmentum nostrum: nostis ignorantiā nostram, & dolos adversariorum: nostis eorum impetus, & nostram fragilitatem. Vobis enim loquor, qui in eadē tentatione fuistis: qui eosdem superastis conflictus, eosdem láqueos evasistis; qui didicistis ex his, quæ passi estis, compassiōnem.

## LECTIO v.

**E**T si de Angelis mihi árbitor præsumendum ob spirituális substántiae & rationális formæ similitudinem; ampliori ramen fiduciā ad eos mihi reor vertendum, quos habére me nōverim & in ipsa humanitatē consortes, ut oporteat eos familiárius & specialius miseréri ossi de óffib⁹ suis, & carni de carne sua. Dénique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos síquidem cōpora cō-

rum in pace sepulta sunt, quorum nōmina vivent in séculum, id est quorum nunquam glória sepelitur. Absit, absit à vobis, ánimæ Sanctæ, Ægyptia illa crudélitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum pristinum restitutus, statim oblitus est Joseph sancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant unius cāpit⁹ membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut ulla societas Israelitæ ad Ægyptum, non plus quam luci ad tenebras.

## LECTIO vi.

**N**Os quoque si non sumus ipsius cāpit⁹ membra, cuius & Sancti, undē eis tam solēmnibus votis, & tanto gratulámur affectu? Céterū qui dixit: Si glorificátur unum membrum, congaudent ómnia membra: hoc quoque nihilominus ait: Quòd si pátitur unum membrum, compatiuntur ómnia membra. Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est, ut nos congratulémur eis, ipsi compatiantur nobis: nos devotā moderatiōne regnemus in eis, ipsi in nobis, & pro nobis mīlitent piā interventione. Nec est quòd de eorum pia erga nos sollicitudine dubitēmus, quando quidem non consummandi sine nobis, expectant nos usque dum retrubátur nobis: ut videlicet

in novissimo die magno festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suam excelso capite membra concurrant, & laudetur cum hereditate sua Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus, & laudabilis, & gloriosus in secula. Amen.

## IN III. NOCTURNO.

*Lectio ut infra in quolibet Communi.*

**FESTUM** primarium S. Institutoris in proprio Ordine, sicut & Festa Sanctorum qui in aliquibus Congregationibus quasi Patroni habentur, celebrabuntur ritu Solemni-majori, cum Octava, intra quam fiet de Semiduplicibus, si occurrant, cum Commemoratione Octava.

## AD NOCTURNUM.

Duae prima Lectio erunt de Scriptura occurrente, tertia tantum de Octava; nisi occurrat Festum Simplex: tunc enim iij. Lectio erit de Octava; iij. de Simplici occurrente.

**DE DOMINICA,** intra Octavam occurrente fiet Officium ut in Psalterio, cum Commemoratione Octava in utrisque Vesperis & Laudibus.

**FESTA** secundariae Patroni primarii celebrantur ritu Duplici-majori, nec habent Octavam.

¶ **S I** Festum Patroni eveniat Tempore Paschali, servabitur ritus proprius hujus Temporis. In Festo & in die Octava Antiphone ad Officium Nocturnum sumentur de III. Nocturno. Prima Lectio erit qua, extra Tempus Paschale, prima in primo Nocturno prescribitur: pro secunda (si nulla de sancto Patrone Lectio in Breviario habetur, ) sumetur similiter prima qua in secundo Nocturno hic assignatur: tertia similiter erit prima ex tertio Nocturno.

## IN DIE OCTAVA.

Lectio j. de Scriptura occurrente, duae aliae qua prima & secunda supra assignatae sunt. Reliqua ut supra.



# OFFICIA ET SUPPLEMENTA FESTORUM

Quorumdam præcipuorum quæ in Ecclesiis Diœcesis  
Ritu Annuali aut Solemni-majori celebrari possunt.

IN FESTO SS. TRINITATIS,  
IN ECCLESIAS SUB. SS. TRINITATIS  
INVOCATIONE DEDICATIS.  
ANNUALE-MAJUS.

*Omnia ut in Breviario,  
adhibito Ritu Annuali-ma-  
jori ad R. I. Vesperarum &  
ad III. Responsorium cu-  
jusque Nocturni.*

DIEBUS  
INTRA OCTAVAM.  
*Totum Officium ordina-  
tur juxta Rubricam suprà  
positam.*

FERIA SECUNDA.  
DE OCTAVA.  
*LECTIO j. de Scriptura  
occurrente.*

*LECTIO ij.*  
Sermo sancti Augustini  
Episcopi.  
Serm. 71. de verbis Evang.  
Nostis, Carissimi, in  
illa invisibili & incor-  
ruptibili Trinitate, quam

fides nostra & Cathólica  
Ecclésia tenet & prædicat,  
Deum Patrem non Spíri-  
tus-sancti Patrem esse, sed  
Filiū; & Deum Filium non  
Spíritus-sancti Filium esse,  
sed Patris; Deum autem  
Spíritum-sanctum non so-  
lius Patris, aut solius esse  
Filiū Spíritum, sed Patris  
& Filii. Et hanc Trinitá-  
tem, quāvis servátā sin-  
gularum proprietate &  
substántiâ Personárum; ta-  
men propter ipsam indi-  
viduam & inseparábilem  
æternitatis, veritatis, bo-  
nitatis esséntiam vel natú-  
ram, non esse tres deos,  
sed unum Deum. Ac per  
hoc pro captu nostro,  
quantum ista per spéculum  
& in ænigmate, præsertim  
tálibus, quales adhuc su-  
mus, vidére concéditur,  
insinuátur nobis in Patre

auctóritas, in Fílio natívitas, in Spíitu-sáncto Patrís, Filiique commúnitas, in tribus æquálitas.

## LECTIO iij.

**Q**Uod ergo commúne est Patri & Fílio, per hoc nos voluérunt habére communióne & inter nos, & secum, & per illud donum nos collígere in unum quod ambo habent unum, hoc est, per Spíitum-sanctum Deum & donum Dei. In hoc enim reconciliámur dívinitáti, cāque delectámur. Nam quid nobis prodeßet quidquid boni noslémus, nisi étiam diligérémus? Sicut autem veritáte díscimus, ita caritáte diligimus; ut & pleniùs cognoscámus, & beáti cógnito perfruámur. Cáritas porró diffusa est in córdibus nostris per Spíitum-sanctum, qui datus est nobis. Et quia peccáris alienabámur à posséssione vérorum bonorum, Cáritas coóperit multitudinem peccatórum. Est ergo Pater Fílio veritáti origo vera, & Fílius de veraci Patre orta véritas, & Spíitus-sanctus à Patre bono & Fílio bono effusa bónitas: ómnium est autem non impar divinitas, nec separabilis unitas. Tu autem, Dómine, miseré nostri.

R. Deo grátias.

## FERIA TERTIA.

## LECTIO iij.

Sermo sancti Gregorii Nazianzéni.

*Tract. de Fde. Orat. 49.*

**Q**uis Catholicórum ignórat Patrem verè esse Patrem, Fílium verè Fílium, & Spíitum - sanctum verè esse Spíitum-sanctum? Sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit: Euntes, baptizáte omnes gentes in nómíne Patris, & Filii, & Spíitús-sancti. Hæc est perfecta Trinitas in unitáte consístens, quam scilicet unius substántiæ profitémur. Non enim nos secundùm cóporum conditióne, divisióne in Deo fásimus; sed secundùm divinæ naturæ poténtiam, quæ in matéria non est: & nómínum persónas verè constáre crédimus; & unitátem divinitatis esse testámur.

## LECTIO iij.

**N**ec extensióne partis alicujus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Fílium dícimus: nec verbum sine re, velut sonum vocis accípimus; sed tria nómina, & tres persónas unius esse esséntiæ, unius majestáti atque poténtiæ crédimus. Et ídeo unum Deum confitémur; quia unitas majestáti, plúrium vocábulu deos prohibet appellari.

appellári. Dénique Patrem & Filium cathólicè nominámus ; duos autem deos dicere , nec póssumus , nec debémus. Non quòd Filius Dei Deus non sit ; imò verus Deus de Deo vero : sed quia non aliundè , quām de ipso uno Patre , Dei Filium nōvimus , perindè unum Deum dicimus. Hoc enim Prophétæ , hoc Apóstoli tradidérunt ; hoc ipse Dóminus dócuit , cùm dicit : Ego & Pater unum sumus. Unum ad unitátem Divinitatis , ut dixi , refert : Sūmus autem , Persónis assignat.

*VESP. de die Octava qua propter Solemnitatem Corporis Christi anticipatur in Feriam sequentem. Omnia ut in I. Vesperis Festi.*

**FERIA QUARTA.**  
Octava  
**SS. TRINITATIS.**  
*DUPLEX-MAJUS.*

*Omnia ut in die , servato ritu Dupli-ci-majori.*

*Psalmi de Feria ad omnes Horas.*

**IN I. NOCTURNO.**

*Lect. de Script. occur.*

**IN II. NOCTURNO.**

*Lectio iv.*

Sermo sancti Augustíni , Episcopi.

*Epist. 170. alias 66.*

**S**i Patri , & Filio & Spíritui-Sancto latrìa debétur & exhibétur à nobis , de qua dictum est :

*APPA.*

Dóminum Deum tuum adorábis , & soli illi sérvis : procul dúbio Dóminus Deus noster , cui soli per latrìam servire debémus , non est Pater solus , nec Filius solus , nec solus Spíritus-sanctus : sed ipsa Trinitas unus Deus solus , Pater , & Filius & Spíritus-sanctus : non ut Pater sit ipse qui Filius , vel Spíritus-sanctus ipse sit aut Pater , aut Filius , cùm sit in illa Trinitate Pater Filii , & Filius Patris solius ; Spíritus autem sanctus & Patris & Filii sit Spíritus : Sed propter unam eandémque natúram atque inseparabilem vitam , ipsa Trinitas , quantum ab homine potest , fide præcedente intelligitur unus Dóminus Deus noster , de quo dictum est : Dóminum Deum tuum adorábis , & illi soli sérvis.

*Lectio v.*

**N**on enim sic ex Deo Patre unigénitus Filius , quemámodum ex illo est universa creatura , quam ex nihilo creávit. Hunc quippe de sua substântia génuit , non ex nihilo fecit : nec eum ex tempore génuit , per quem cuncta tempora cóndidit. Quóniam sicut flamma splendórem quem gignit , tempore non præcédit ; ita Pater nunquam sine Filio fuit. Ipse est quippe sapiéntia Dei Patris , de qua

*D*

scriptum est ; splendor est enim lucis æternæ. Luci ergo cuius candor est , id est , Deo Patri sine dubio coæterna est. Et ideo non sicut in principio fecit Deus cœlum & terram , ita in principio fecit Verbum , sed in principio erat Verbum . Spiritus quoque sanctus non sicut creatura ex nihilo est factus ; sed sic à Patre Filioque procédit ut nec à Filio , nec à Patre sit factus.

*LECTIO vij.*

**H**Æc Trinitas unius est ejusdemque naturæ atque substantiæ ; non minor in singulis quam in omnibus , nec major in omnibus quam in singulis ; sed tanta in solo Patre , vel in solo Filio , quanta in Patre simul & Filio , & tanta in solo Spíritu-sancto , quanta simul in Patre & Filio & Spíritu-sancto. Neque enim Pater , ut habéret Filium de seipso , minuit seipsum ; sed ita génuit de se alterum se , ut totus maneret in se , & esset in Filio tantus , quantus & solus. Similiter & Spíritus-sanctus integer de integro , non præcedit unde procédit , sed tantus cum illo , quantus ex illo , nec minuit eum procedendo , nec auger hærendo. Et hæc omnia nec confusè unum sunt , nec distinctè tria sunt ; sed cum sint unum , tria sunt ; & cum sint tria , unum sunt.

IN III. NOCTURNO.  
*LECTIO vij.*  
Lectio sancti Evangeli secundum Matthæum.  
*Cap. 28.*

**I**N illo tempore ; dixit Jesus Discipulis suis : Data est mihi omnis potestas in cœlo , & in terra. Euntes ergo docéte omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spíritus - Sancti. Et reliqua.

Homilia sancti Athanási Episcopi.

*Epiſt. 1. ad Serapionem.*

**H**aud abs re fuerit verem traditionem , doctrinamque , ac fidem cathólicæ Ecclesiæ investigare , quam scilicet Dóminus trádidit Apóstoli prædicavére , & Patres servavére. In ea enim Ecclesia fundata est , à qua si quis exciderit ; is nec esse , nec amplius dici Christianus ulla ratione poterit. Itaque Trinitas Sancta & perfecta est , quæ in Patre & Filio & Spíritu-Sancto agnoscitur , nihilque alienum , vel extrínsecus admixtum habet , neque ex creatore , & re creata constat , sed tota creandi & efficiendi vi prædicta est : sibi quoque similis , & individua est natura unaque ejus est efficacia & actio. Nam Pater per Verbum in Spíritu-Sancto omnia facit , eoque modo Sanctæ Trinitatis unitas servatur.

## LECTIO viii.

**I**ta unus Deus in Ecclésia prædicátor, qui est super ómnia, & per ómnia, & in ómnibus super ómnia quidem ut Pater, ut principium & fons: per ómnia verò, nempe Verbum: in ómnibus dénique in Spíritu-sancto. Porrò Trinitas non nōmine tenus, & solà verbórum spécie est Trinitas, sed verè & reipsa existit Trinitas. Nam sicuti verè est Pater, ita & verè est ejus Verbum, quod & ipsum super ómnia est Deus. Nec item Spíritus-sanctus non existit; sed útique verè est, & existit.

## LECTIO ix.

**N**Ec his minus áliquid sentit Cathólica Ecclésia, ne hodiernos Ju-

dæos Caiphæ haud absimiles & Sabellium sequátur; nec his item plus áliquid comminiscitur, ne in multitúdinem deórum gentilium devolváatur. Sed ut hanc esse fidem Ecclésiæ intelléigant, eos discere operæ prétium est, quonam modo Dóminus mittens Apóstolos, iisdem præcepérat ut istud fundamentum in Ecclésia jácerent: Euntes, inquit, docéte omnes gentes, baptizantes eos in nōmine Patris, & Filii, & Spíritus-sancti. Profecti verò Apóstoli, ita sine dúbio docuerunt, atque hæc ipsa prædicatiō in universam Ecclésiam quæ sub cœlo est, permanávit.

Officium terminatur ad Nonam.



## FERIA SEXTA.

NTRA HEBDOMADAM PASSIONIS.

IN FESTO

## COMPASSIONIS B. M. VIRGINIS.

**¶** Si alicubi celebretur  
ritu solemnni-majori, Offi-  
cium fiet ut in Breviario,  
addendo ea quae sequuntur.

## IN I. VESPERIS.

Omittitur Glória Patri,  
in **¶**. & ejus loco repetitur  
**¶**. ab initio, usque ad **¶**.  
Duplicatur *Ant.* ad Ma-  
gnificat.

## AD COMPLETORIUM.

*Ant.* 4. A. Pósuit me  
Dóminus desolátam, totâ  
die mærōre confectam.  
*Thren.* 1.

## HYMNUS, VIRGINEIS.

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant.* 3. c. Qui induxit  
mala, ipse rursum addíceret  
sempiternam jucunditatem.  
*Baruch.* 4.

## IN I. NOCTURNO.

*Pf.* 12. Usquequò, Dómi-  
ne. 52.

*Pf.* 27. Ad te, Dómine,  
clamábo. 5.

*Pf.* 29. Exaltábo te, Dó-  
mine. 5.

## LECTIO j.

Ex libro Threnórum.

Cap. 1.

**V**Ide, Dómine, quó-  
niam tribulor; con-  
turbátus est venter  
meus, subversum est cor  
meum in memetipsa, quó-  
niam amaritudine plena  
sum. Foris interficit gla-  
dius, & domi mors símilis  
est. Audiérunt quia inge-  
misco ego, & non est qui  
consolétur me. Omnes inimici  
mei audiérunt malum  
meum, lætati sunt, quó-  
niam tu fecisti. Adduxisti  
diem consolatiōnis; & sicut  
símiles mei. Jerúsalem, Je-  
rusalem, convertere ad Dó-  
minum Deum tuum.

LECTIO ij. cap. 3.

**E**Radicationem & abjec-  
tionem posuisti me in  
médio populorum. Aperue-  
runt super nos os suum  
omnes inimici. Formido  
& láqueus: facta est nobis  
vaticinatio & contrítio. Di-  
vísiōnes aquarum deduxit

ōculus meus, in contritiōne filiæ pōpuli mei. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset rēquies, donec respiceret & vidēret Dōminus. Jerūsalem.

## LECTIO iiij.

**I**NUNDAVÉRUNT aquæ super caput meum: dixi, pérīi. Invocávi nomen tuum, Dō nine, de lacu novissimo, vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam à singultu meo, & clamóribus. Appropinquasti in die, quando invocávi te: dixisti, ne timeas. Judicasti, Dōmine, causam animæ meæ. Redemptor vitæ meæ. Jerúsalem.

Loco Glória Patri. repetitūr R. Dédūcant. usque ad v.

## IN II. NOCTURNO.

Pf. 45. Deus nōster refugium. 110.

Pf. 56. Miserére mei, Deus, quóniam. 100.

Pf. 55. Miserére mei, Deus, miserére. 106.

Repetitūr 3.<sup>um</sup> R. usque ad v.

## IN III. NOCTURNO.

Pf. 60. Exaudi, Deus, deprecationem. 87.

Pf. 61. Nonne Deo subiecta erit. 102.

Pf. 63. Exaudi, Deus, orationem meam cùm déprecor. 103.

## AD LAUDES.

*Psalmi de Dominica, cum Cantico ut in Breviario.*

Duplicatur Ant. ad Benedictus.

## AD HORAS.

*Psalmi de Dominica.*

## AD VESPERAS.

*Psalmi de Officio parvo.*

Ante Hymnum dicitur R. ix. Officii Nocturni, quod loco Glória Patri. repetitūr ab initio.

Duplic. Ant. ad Magnificat.

## AD COMPLETORIUM.

*Psalmi de Dominica.*



DIE XVIII JANUARII.  
IN FESTO  
*PONTIFICATÙS SEU CATHEDRÆ*  
**S A N C T I P E T R I,**  
QUA ANTIOCHIÆ PRIMUM SEDIT,  
DE INDE ROMÆ.

*Si hoc Festum alicubi cete-  
bretur ritu Annuali, ad ea  
qua habentur in Breviario  
addentur qua sequuntur.*

**I N I . V E S P E R I S.**  
*Psalmi de Feria.*

*Post Capitulum &c. Lo-  
cútus es. de Communi Pon-  
tificum; ritu Annuali.  
Duplicatur Ant. ad Ma-  
gnificat.*

**A D C O M P L E T O R I U M.**  
*Antiph. de Communi  
Pontificum.*

**A D O F F I C I U M N O C T .**

*Invitatorium & Hymnus,  
ut in Breviario. Psalmi de  
Communi Pontificum, ut  
infra.*

**I N I . N O C T U R N O.**  
*Antiph. &c. de Communi  
Pontificum.*

**L E C T I O i.**

*De libro Levítici. cap. 8.*

**L** Ocútus est Dóminus  
ad Móysem dicens:  
Tolle Áaron cum  
filiis suis, vestes eórum,

& unctiōnis óleum, vitu-  
lum pro peccáto, duos  
arietes, canístrum cum  
ázimis; & congregábis  
omnem cœtum ad óltium  
tabernáculi. Fecit Móyses  
ut Dóminus imperáverat.  
Congregatique omni turbâ  
ante fores tabernáculi ait:  
iste est sermo quem jussit  
Dóminus fieri. Statimque  
obtulit Áaron & filios  
ejus. Cùmque lavisset eos,  
vestivit Pontíficem subúcu-  
lā lineâ, accingens eum  
bálteo, & induens eum  
túnicâ hyacinthinâ & dé-  
super humerale impósuit,  
quod astríngens cíngulo,  
aptávit Rationáli, in quo  
erat Doctrína & Véritas.  
Cidári quoque texit caput;  
& super eam, contra fron-  
tem, pósuit láminam áu-  
ream consecrátam in sanc-  
tificatione, sicut præcéperat  
ei Dóminus. Tulit & unc-  
tiōnis óleum, quo linívit  
tabernáculum cum omni  
suppelléctili sua. Cùmque

sanctificans aspersisset altare sepm vīcibus, unxit illud, & omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit óleo. Quod fundens super caput Aáron unxit eum & consecravit.

## LECTIO ij.

De Libro Númeri. c. 16.

**C**ore filius Isaar filii Caath, filii Levi, & Dathan atque Abíron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, surrexerunt contra Móysen, aliquie filiorum Israël ducenti quinquaginta viri próceres Synagógæ, & qui tempore concili per nōmina vocabantur. Cūque stetissent adversum Móysen & Aáron, dixerunt: sufficiat vobis quia omnis multitudo Sanctórum est, & in ipsis est Dóminus: cur elevámini super pöpulum Dómini? Quod cū audisset Móyses, cécidit pronus in fáciem: locutusque ad Core & ad omnem multitúdinem; Manè inquit, notum fáciet Dóminus qui ad se pertineant, & Santos applicabit sibi; & quos élegerit, appropinquábunt ei.

## LECTIO iij. cap. 17.

De Libro Deuteronomii.

**S**i difficile & ambiguum apud te judicium esse perspéxeris inter sanguinem & sanguinem, cau- sam & causam, lepram &

lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum quem élegerit Dóminus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levítici generis, & ad iudicem qui fuérit illo tempore; quaresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et fácies quocumque dixerint qui præsunt loco quem élegerit Dóminus, & docuerint te juxta legem ejus; seque risque sententiam eorum, nec declinabis ad déxteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obediere Sacerdotis império, qui eo tempore ministrat Dómino Deo tuo, & decretó iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël; cunctusque pöpulus aüdiens timébit, ut nullus deinceps intumescat supérbiâ.

## IN II. NOCTURNO.

Antiph. ¶. & R. de Communi Pontificum. Lec- tiones ut in Breviario, ex duabus fiunt tres, hoc modo.

Prima desinit ad hac verba: Roma didicisset. Secunda sic incipit: Hic concilicandæ. & desinit ad hoc verbum sequentis: in gréderis. Tertia, Jam pöpulos. usque ad finem.

## IN III. NOCTURNO.

Antiph. & ¶. ut in Bre viario.

*Lectiones & r̄r̄r̄. ut hic  
notantur.*

*R. Quem dicunt. ut in  
Breviario, cum Glória.*

*LECTIO viij.*

Lectio sancti Evangeliū  
secundūm Matthæum.

*Cap. 16.*

**I**N illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsaræ Philippi & interrogabat, Discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii,  
Episcopi.

*Comment. in Matth. c. 16.*

**C**hristus à discipulis requirit quem se homines esse dicerent; & adiicit, Filium hominis. Hæc enim confessionis tendenda ratio est, ut sicut Dei Filiū, ita & Filium hominis meminérimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem. Editis itaque quæ diversæ de eo erant hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant querit. Petrus respondit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Sed Petrus conditionem propositionis expénderat. Dominus enim dixerat: Quem me homines esse dicunt? Filium hominis? Et certè filium hominis contemplatio corporis præferébat. Sed addendo, quem me esse dicunt? Significavit præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum: erat enim hominis filius.

*LECTIO viij.*

**Q**uod igitur de se opinandi judicium desiderabat? Non illud arbitramur, quod de se ipse confessus est: sed occultum erat de quo querebatur, in quod se credentium fides debébat exténdere. Et dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium vidisset. Beatus hic est, qui ultra humános oculos & inten-  
disse & vidisse laudatus est: non id quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei Filium coelestis Patris revelatione conspiciens; dignusque judicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret.

*R. Tibi dabo. ut in Breviario, cum Glória.*

*LECTIO ix.*

**O**n nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret! ò beatus cœli janitor, cuius arbitrio claves æterni adiutus traduntur, cuius terrestre judicium, præjudicata autóritas sit in cœlo: ut quæ in terris aut ligata sint, aut solita, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cœlo!

*R. Dixit Dóminus. ut in  
Breviario & repetitur post  
reclamationem.*

**A D L A U D E S.**  
*Psalmi de Dominicâ,  
Canticum de Communi Pon-  
tificum. Duplicatur Ant. ad  
Benedictus.*

**A D H O R A S.**  
*Doxologia.*  
**S U P R E M E** Christe, Pón-  
tifex  
Jugis tibi sit glória,  
Cum Patre cumque Spíritu;  
In sempiterna sécula.  
Amen.  
*Psalmi de Dominicâ.*  
*In R. br. v. Qui es*  
**C A P U T** Corporis Ecclésiæ.  
*Coloss. 1.*

**A D P R I M A M.**  
**C A N O N.**  
Ex Concilio Románo  
primo.

*Ann. 494. Decreto de apo-  
criyphis scripturis.*  
**Q**Uamvis universæ per  
orbem Ecclésiæ unus  
thalamus Christi sit, sancta  
tamen Romána Cathólica  
& Apostólica Ecclésia...  
Evangelicâ voce Dómini &  
Salvatóris nostri primátum  
obtinuit: Tu es Petrus,  
(inquietis) & super hanc  
petram ædificábo Ecclésiam

meam, & portæ inferi non  
prævalébunt aduersus eam  
& tibi dabo claves regni  
cælorum... Est ergo prima  
Petri Apóstoli sedes Romá-  
na Ecclésia, non habens  
máculam neque rugam,  
nec áliquid hujúsmodi. Se-  
cunda autem sedes apud  
Alexandriam beati Petri  
nómine à Marco... conse-  
crata est... Tertiæ vero  
sedes apud Anthiochiam  
ejúsdem beatissimi Petri  
Apóstoli nómine habétur  
honorabilis, eò quod illic  
priusquam Romam venisset  
habitávit, & illic primum  
nomen Christianórum no-  
vellæ gentis exortum est.

**A D I I. V E S P E R A S.**  
*Psalmi de Communi Pon-  
tificum.*

*Ante Hymnum Alleluia,*  
alleluia.

v. Stáuit ei Dóminus  
testamentum æternum: Co-  
róna aurea super mitram  
ejus expressa signo sancti-  
tatis, & gloriæ honoris.  
Alleluia. *Eccl. 45.*

*Diebus intrà Octavam,*  
serventur Rubrica superiùs  
posita pro Octava.

*Lectiones sumentur tūm*  
de Communi Patronorum,  
tūm de Communi Pontifici.



DIE XXV.  
IN CONVERSIONE  
S A N C T I P A U L I ,  
A P O S T O L I .

**¶ Si hoc Festum celebretur ritu Annuali , omnia ut in Breviario , exceptis quæ sequuntur.**

**AD COMPLETORIUM.**

*Ant. 1. g.* Adimplévit Dóminus propitiatióinem suam in illo , & ostendit ei viam æquitatis. *Eccl. 18.*

*Doxologia , UNI sit & trino Deo. ut in Hymno Vesperarum.*

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant. 4. A.* Confitébor tibi , Dómine , in géntibus ; & nómini tuo cantábo. *2. Reg. 22.*

**AD OFFICIUM NOCT.**

*Psalmi ut infrà in Communi Apostolorum.*

**IN I. NOCTURNO.**

*Sumentur Lectiones de Actibus Apostolorum , in Breviario posita pro II. Nocturno.*

**IN II. NOCTURNO.**

*LECTIO iv.*

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

*Serm. in Conv. S. Pauli. n. 1.*

**M**Erítò quidem dilectissimi , convérso doctoris géntium ab universitaté

géntium festivis gaúdiis hódie celebrátur. . . . Quis despéret ultrà pro magnitudine cujuslibet criminis , quandóquidem Saulum audiát adhuc spirantem minárum & cædis in discípulos Dónini , subitò factum vas electiōnis , Quis dicat iniqutatis pondere pressus : afflígere jam ad studia meliora non váleo : quando in ipso itinere , quo sanguinem sitiens Christiánum , dirum toto péctore virus efflábatur , persecutor crudelissimus in fidelissimum repente mutátus est prædicatorem ? Magnífice síquidem in hac una conversione & misericordiæ magnitudo , & efficácia gratiæ commendátur.

*LECTIO v. n. 6.*  
**D**ómine quid me vis fácer ? ô Verbum breve , sed plenum , sed vivum & efficax , sed dignum omni acceptiōne ! Quám pauci inveniuntur in hac perfectæ obediéntiæ forma , qui suam ita abjécerint voluntatē , ut ne ipsum quidem cor próprium há-

beant, ut non quid ipsi sed quid Dóminus velit, omni horâ requirant... Sic profectò, sic multórum usque hódie pusillanimitas & perversitas exigit; ut ab eis quæri opóreat: Quid vis ut fáciam tibi? non ipsi querant: Dómine quid me vis facere? Considerare necesse habent ministri & vicárii Christi, quid sibi præcipi velint; non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris.

LECTIO vij. n. 7.

**E**T Dóminus ad illum: Surge & ingrédere civitatem: ibi dicétur tibi quid te opóreat facere. O sapientia suáviter verè universa dispónens! eum cui tu lóqueris erudiéndum de tua voluntáte mittis ad hominem, ut sociális vitæ commendétur utilitas; & edoctus per hominem, discat & ipse secundùm datam sibi grátiā homínibus subvenire.... Sed audi quæ manifestè in his quæ sequuntur voluntária simplicitas & christiana commendárunt mansuetudo. Apertis oculis nihil vidébat: ad manus autem trahebátur ab his qui comitabantur eum. Felix cæcitas quâ male quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur. Sanè quod tri-duo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad

eos máximè pertinet, qui nótiter século abrenuntiantes, nequum in cœlesti consolatione respirant. Sus-tineant ergo & ipsi Dóminum in omni patientia; orent sine intermissione, querentes, petentes, pulsantes: quia exaudiens eos Pater cœlestis in tempore opportuno.

AD LAUDES.

CANTICUM. 2. Reg. 2.

**T**U lucerna mea, Dómine; \* & tu Dómine, illuminabis tenebras meas.

In te enim curram accinctus: \* In Deo meo transliliam murum.

Deus, immaculata via ejus, eloquium Dómini igne examinatum; \* scutum est omnium sperantium in se.

Quis est Deus præter Dóminum? \* & quis fortis præter Deum nostrum?

Vivit Dóminus & benedictus Deus meus; \* & exaltabitur Deus fortis salvus meus.

Propterea confitébor tibi, Dómine, in Génibus; \* & nōmini tuo cantabo.

AD HORAS. Doxologia, UNI sit & trino Déo. ut in Vesperis.

AD PRIMAM, Canon ut suprà in Feste Patroni.

IN II. VESPERIS.

Psalmi de Communi Apóstolorum.

*Ante Hymnum. Alleluia, alleluia. V. Bénedic anima mea Dómino, qui corónat te in misericórdia & miserationibus. Alleluia.*

*Pſ. 102.*

*In Ecclesiis sub titulo Conversionis S. Pauli dedi-*

*catis, hoc Festum habebit Octavam, intrà quam sumuntur Lectiones, superius assignata pro Patronis: & in die Octavá:*

**IN III. NOCTURNO.**

*Evangelium & Homilia ut in FESTO.*

DIE XX. APRILIS.

IN FESTO

SANCTI JOSEPH,

SPONSI B. MARIAE VIRGINIS.

*Si hoc Festum celebretur Ritu Annuali aut Solemni majori: omnia ut in Bre viario, additis quæ sequuntur.*

**AD COMPLETORIUM.**

*Ant. 7. d. Benedictiones Patris tui fiant in capite Joseph, & in vértice Nazaræi inter fratres suos; Alleluia. Gen. 49.*

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant. 5. a. Amantissimus Dómini habitabit confidenter in eo, & inter húmeros illius requiesceret; Alleluia. Deut. 33.*

**AD OFFICIUM NOCT.**

*Pſ. 1. Beatus vir, qui non. 1.*

*Pſ. 14. Dómine, quis habitabit. 38.*

*Pſ. 100. Misericórdiam & iudicium. 40.*

**LECTIO j.**  
De Libro Sapientiæ.

*Cap. 8.*

**I**ntransi domum meam, conquiescam cum sapientia: non enim habet amaritudinem converratio illius, nec tedium convictus illius, sed lætitiam & gaudium. Hæc cogitans apud me, & commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatiōne sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in opéribus manuum illius honestas sine defectiōne, & in certamine loquacitatem illius sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibant

quærens, ut mihi illam assūmerem.

*LECTIO ij. de Sermoni S. Bernardi, ut in Breviario, duabus in unam iunctis.*

*LECTIO iij.*

Lectio sancti Evangeli secundum Matthæum.

*Cap. 1.*

**I**N illo tempore: Cùm eslet desponsata mater Iesu, Marta, Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spíitu sancto. Et reliqua.

Homilia sancti Angustini, Episcopi.

*De Nuptiis & Concupisca.*  
*Lib. 1. §. 12.*

**N**ON fallaciter ab An- gelo dictum est ad Joseph: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Condux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognitus: nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa Virgo ideo & sanctius & mirabilius jucunda suo viro, quia etiam foecunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidèle conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa

mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater sola mente, sive illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitatis ejus, non sublimitatis; infirmitatis, non divinitatis.

### AD LAUDES.

*Psalmi de Dominica.*

CANTICUM. *Sap. 8.*

**S**apientiam amavi & exquisivi à juventute mea,\* & amator factus sum formæ illius.

Generositatem illius glorificat \* contubernium habens Dei.

Sed & omnium Dominus dilexit illam; \* doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius.

Et si divitiae appetuntur in vita, quid sapientia locupletitis, \* quæ operatur omnia?

Si autem sensus operatur: \* quis horum quæ sunt, magis quam illa est artifex?

Et si justitiam quis diligit, \* labores hujus magnas habent virtutes.

Sobrietatem enim & prudenteriam docet, & justitiam, & virtutem \* quibus utilius nihil est in vita hominibus.

*Et dicitur per Octayam, quando fit de ea.*

## AD PRIMAM.

*Psalmi de Dominica.*

## CANON.

Ex beáto Petro Damiáno.

*De Cœlib. Sacerd. Opus. 7.*

cap. 5.

**N**E sufficere videátur, ut tantummodo Virgo sit mater Filii Dei; Ecclésiae fides est, ut Virgo fuerit & is, qui simuláritas est pater? Si igitur Redemptor noster tantóperè dilexit flóridi pudoris integratétem, ut non modò de virgíneo útero nascerétur, sed etiam à nutritio Vírgine tractaréatur, & hoc cùm adhuc párvulus vagíret in cunis, a quibus nunc óbsecro, tractári vult corpus suum, cùm jam immensus regnat in cœlis?

## AD II. VESPERAS.

Pf. 109. Dixit Dóminus. 18.

Pf. 111. Beátus vir. 19.

Pf. 112. Laudáte, pueri. 19.

Pf. 130. Dómine non est exaltatum. 68.

Pf. 131. Memento, Dómine, David. cum sua Divisione. 113.

## DIEBUS

INTRA OCTAVAM,  
ET IN DIE OCTAVA.

Omnia ut in die (servato Ritu Semiduplici) prater Psalmos qui sunt de Feria, & Lectiones quæ dicuntur ut in Communi Patronorum.



DIE III. MAIL.

IN INVENTIONE

# SANCTÆ CRUCIS.

**F**Hoc Festum etiam si sit titulare, si incidat in Festum Ascensionis, transfertur in Feriam VI. sequentem; & in die Ascensione, Vespere erunt integra de Ascensione cum Commem. solemini de Inventione S. Crucis, & per Octavam fiet Officium de Octava Ascensionis cum sola Commemorat. Octava & S. Crucis. Octava autem Inventionis S. Crucis terminabitur eo in casu Feria VI. post Octavam Ascensionis, licet aliter ordinetur in Rubricis generalibus.

*Omnia ut in Breviario additis quæ sequuntur.*

## AD COMPLETORIUM.

*Ant. 2. D. Córnua in mánibus ejus; ibi abscondita est fortitudo ejus: Alleluia. Habac. 3.*

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant. 6. C. Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus: Alleluia. Cant. 7.*

## AD OFFICIUM NOCT.

*Pfalmi. Quare fremuerunt gentes. 2. Dómine, quid multiplicáti sunt. 2. Cantáte Dómino.... Cantáte. 32.*

### LECTIO j.

*De Epístola beati Pauli, Apóstoli, ad Hebreos.*

*Cap. 12.*

**D**Eponentes omne pondus, & circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspicientes in auctórem fidei, & consummatórem Jesum, qui propórito sibi gáudio sustinuit crucem, confusiónem contemptá, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui tales sustinuit à peccatóribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigémini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitisis, adversus peccátum repugnantes: & obliiti estis consolatiónis, quae

vobis tanquam filii lóquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Dómini: neque fatigéris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dóminus, castigat; flagellat autem omnem filium quem récipit. In disciplina perseveráte.

*LECTIO ij. Ex Epistola. ut in Breviario, ex duabus fit una.*

*LECTIO iij. Léctio sancti Evangélii secundum Joannem.*

*Cap. 3.*

**I**N illo tempore: Erat homo ex Phariseis, Nicodémus nōmine, princeps Iudeorum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini,  
Episcopi.

*Tract. 12. in C. 3. Evang.  
Joann.*

**S**icut Móyses exaltávit serpentem in erémo, ita exaltári oportet Filium hóminis: ut omnis qui credit in eum non péreat, sed habeat vitam æternam. Magnum sacramentum. Prosterneháatur in erémo pópulus Israel in órsibus serpentum, fiébat magna strages multárum mórtium: dictum est ad Móysen à Dómino ut faceret aeneum

serpentem & exaltáret in ligno in erémo, & admonéret pópulum Israel, ut si quis mortus esset à serpente, illum serpentem in ligno exaltatum atténderet. Factum est: mordebantur hómines, intuebantur, & sanabantur. Quid sunt serpentes mordentes? peccata de mortalitaté carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Dómini in cruce. Quia enim, à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est. Morsus serpentis lethális, mors Dómini vitális.

*AD LAUDES & HORAS.  
Psalmi de Dominica.*

**A D P R I M A M.  
C A N O N.**

Ex Concilio secundo Niceno  
Ecuménico.

*In definitione.*

**S**anctorum nostrorum & divinorum Patrum doctrinæ insistentes, & catholicae Ecclesiæ in qua Sanctus Spíritus inhábitat, traditiórem observantes; definímus cum omni diliéntia & cura venerandas sanctas imágines, ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis... in templis sanctis Dei collocandas habendasque tūm in sacris vasis & vestibüs, tūm in pariétibus & tábulis, in aedibus privatis, in viis publicis.

**A D V E S P E R A S.**  
Pf. 109. Dixit Dómini-  
nus. 18.

Pf. 110. Confitébor... iu-  
concilio. 19.

Pf. 128. Sapè expugna-  
vérunt. 97.

Pf. 139. Eripe me. cum  
sua diviſione. 98.

Pf. 96. Voce meâ. 30.

---

pervénit ad pretiósū involútū. Absit, ( inquit, ) mihi gloriári , nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. Bonam sārcinam sustulisti , ibi totum est quod quæſisti ; & quid ibi magnum latéret ostendisti. Quale adjutórium ? Per quem mihi , ( inquit, ) mundus crucifixus est , & ego mundo. Quando tibi crucifigerétur mundus , nisi pro te crucifigerétur , per quem factus est mundus ? Ergo qui gloriátur , in Dómino glorietur. Quo Dómino ? Christo crucifixo. Ubi humilitas , ibi maiestas ; ubi infirmitas , ibi potestas ; ubi mors , ibi vita. Si vis ad illa pervenire , noli ista contémnere.

*LECTIO iiiij. de S. Mo-  
nica.*

---

#### DIE IV.

*LECTIO ij.*

De Sermóne sancti Augus-  
tini , Episcopi.

Serm. 160. de verb. Apost.  
§. 4.

**M**ihī , inquit Apóstolus , absit gloriári , nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. Póterat dícere , in sapiéntia Dómini nostri Jesu Christi , & verum díceret : póterat in maiestáte , & verum díceret : póterat in potestáte , & verum díceret ; sed dixit , in cruce. Ubi mundi philóſophus erubuit , ibi theſaurum Apóstolus réperit : non conteinendo vile involúcrum ,

*DIE V.*  
*LECTIO ij.*  
De Sermóne sancti Augus-  
tini , Episcopi.

Serm. 160. de verb. Apost.  
§. 5.

**C**hristum quæritis excel-  
sum ; redite ad crucifixum. Vultis regnare & gloriári in sédibus Christi ; prius díscite dicere : mihi absit gloriári , nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. Hæc est doctrína Christiánæ humilitatis præceptum , humilitatis commendatio , ut non gloriémur , nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Nam non est magnum in Christi sapientia gloriari: magnum est in cruce Christi gloriari; unde tibi insultat impius, inde gloriatur pious; unde insultat superbus, inde gloriatur christianus. Noli erubescere de cruce Christi: ideo in fronte tanquam in sede pudoris signum ipsum accepisti.

## LECTIO iii.

In Ps. 36. Serm. 2.

**D**icitur in psalmo: Sustine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Quid est hoc, sustine Dominum? Ad tempus laboras, in eternum non laborabis: brevis est molestia tua, eterna erit beatitudo tua: ad modicum doles, sine fine gaudebis. Sed inter molestias incipis labi? Proponitur exemplum passionum Christi. Vide quid proteguntur, qui quare perferret non habebat. Quantcumque patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremo crucem non pervenies, quia jam & de poena generis humani sublata est. A locis suppliciorum fecit transiit ad frontes imperatorum. Qui tantum honorem dedit poenis suis, quid servat fidelibus suis?

---

DIE VI.  
Fit de S. JOANNE,  
Apostolo ante portam Latinam, cum Commemorat  
Octava.

---

## DIE VII.

## LECTIO ij.

Ex Enarratione sancti Augustini Episcopi in Psalmum centesimum quadragesimum primum.

§. 9.

**I**nsultet ( paganus ) crucifixo Christo; videam ego in frontibus regum crucem Christi. Quod irridet, ibi salvor. Nihil est superbius aegroto, qui deridet medicamentum suum. Si non deridet, acciperet & ipse, & sanaretur. Crux illa signum est humilitatis; ille autem superbia nimia non agnoscit, unde sanetur tumor animae ipsius. Si autem ego agnosco, in via ambulo, usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.

LECTIO iii. de Festo occurrente; si autem Festum sit duplex, fit Commemoratio Octavae.

---

## DIE VIII.

[ Ubi fit Officium S. Gabrielis Archangeli, fit Commem. Octavae.]

LECTIO iij.

De Sermóne sancti Joannis  
Chrysostomi.

In C. 6. Epist. ad Gal. sub  
finem.

M*hi absit ut glórier,*  
nisi in cruce Dómini  
nostrí Jesu Christi. Atta-  
men res vidétur esse pro-  
brósa : verùm in mundo,  
& apud infidéles. Ceterùm  
in cœlis & apud fidéles  
glòria est, & quidem máxi-  
ma. Nam & paupertas pro-  
brósa est, sed nobis glo-  
riosa. Item sperni apud  
vulgus ridiculum est, at  
nos eo gloriámur. Ita crux  
nobis est gloriandi matéria.  
Nec verò dixit: Ego non  
glòrior, sed absit ut ego  
glórier, perinde quasi de-  
re portentósa loquens abo-  
minátus est, & ad hoc  
præstandum divinam opem  
implorávit. Et quid est  
quod de cruce gloriáatur?  
Quòd Christus meā causā  
formam servi accépit, &  
meā causā quæ passus est,  
pertulit: propter me, in-  
quam, qui servus eram,  
qui inimicus, qui ingrátus;  
sed sic me dilexit, ut seipsum  
expóneret.

LECTIO iij.

Ex Tractáto sancti Augustí-  
ni Episcopi in Joannem.

Tract. 36. in Evang. Joann.

§. 4.

C*hristus mori voluit pro*  
nobis: parum dicimus,  
crucifigi dignátus est, usque  
ad mortem crucis obédiens

factus. Elégit extrémum &  
péssimum genus mortis,  
qui omnem fuerat ablatúrus  
mortem: de morte péssima  
occidit omnem mortem.  
Péssima enim erat non in-  
telligéntibus Judæis; nam  
à Dómino electa erat. Ipsam  
enim crucem suam signum  
habitúrus erat, ipsa cru-  
cem de diábolo superáto  
tanquam trophæum in frón-  
tibus fidélium positúrus, ut  
diceret Apóstolus, Mihi  
autem absu gloriári, nisi  
in cruce Dómini nostri  
Jesu Christi, per quem  
mihi mundus crucifixus  
est, & ego mundo. Nihil  
erat tunc in carne intole-  
rabilius, nihil est nunc in  
fronte gloriósius. Quid ser-  
vat fidéli suo, qui tales  
honórem dedit supplicio  
suo?

---

DIE IX.

Fit Officium de S. Gre-  
gorio Nazianzeno, cum  
Commemoratione Octava in  
I. Vesperis, & Laudibus.

VESPERÆ de die Octav.  
ut in I. Vesp. Festi. Comm.  
S. Gregorii Nazianzeni.

---

DIE X.

OCTAVA  
INVENTIONIS S. CRUCIS.  
DUPLEX-MIUS.

---

Omnia ut in die prater  
sequentia.

Psalmi de Feria ad omnes  
Horas.

## AD OFFICIUM NOCT.

*LECTIO i. de Scriptura  
occurrente.*

*LECTIO ii.*

Sermo sancti Joannis  
Damasceni.

*L. 4. de Fide orthod. c. 11.*

**Q**uanquam omnis Christi adictio & miraculorum editio, praeclara, divina ac mirabilis est: nihil tamen est ex omnibus quod admiratione dignius sit, quam veneranda ipsius Crux. Neque enim alia nullam re destructa mors fuit, primi parentis peccatum extinctum, infernus spoliatus, resurrectio donata, vis tum praesentia, tum mortem ipsam contempnendi nobis concessa, reditus ad antiquam beatitudinem patatus, paradisi patefactae januae, natura nostra ad Dei dexteram collocata, nos de-

nique filii Dei atque heredes facti, nisi per Crucem Domini nostri Iesu Christi. Crux nobis signi loco in fronte data est, hand scapus ac Circumcisio Israeli. Per hanc nos fidèles ab infidelibus distinguimur atque agnoscimur. Haec clypeus, armatura atque tropaeum est adversus diabolum. Haec signaculum est, ne nos exterminator Angelus tangat, ut Scriptura loquitur. Haec jacentium erectio est, stantium fulcimentum, instrumentorum baculus, ovum virga, resipiscientium admoniculum, proficiéntium perféctio, animæ & corporis salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, peccati extincio, resurrectionis planta, viae æternæ lignum.

*LECTIO iii. de Evangelio & Homilia ut in die.*

## DIE XXIII. JUNII.

*In Ecclesiis sub invocatione S. Joannis Baptiste dedicatis, fit Officium de Vigilia hoc modo.*

[*Si venerit in Dominica, Officium fit de Dominica usque ad versiculum tertii Nocturni exclusivè: reliqua de Vigilia, id est, septima & octava Lect. de Evangelio Vigilia, cum Homilia sancti Ambrosii, infra,*

*divisione facta ad\* Asteriscum: Lectio ix. de Evangelio & Homil. Dominicæ occurrentis.*

*B.R.B. ut infra, & dicitur Te Deum.*

*AD LAUDES, & AD HORAS, Psalmi de Dominica, cum Commem. Dominicæ. Reliqua de Vigilia.]*

*¶ Si Vigilia ista venerit*

in Feriis, Officium fit ut  
sequitur.

## AD OFFICIUM NOCT.

SIMPLEX.

*INVIT.* Dóminum mit-  
tentem Angelum suum ante  
fáciem suam ; \* Venite ,  
adorémus. *Malah. 3.*

*Pf. 94.* Venite, 146.

HYMNUS.

**S**ANCTIOR sancto sôboles  
parente ,  
Ipfa vox Verbi , tuba ve-  
ritatis ;  
Candidum Sylvis jubar ,  
ô Joannes ,  
Máxime vatum.

QUIS tibi certet méritis  
vel ortu ,  
Cui pluunt dextro bona  
larga cœlo ;  
Edito nondùm grave cri-  
men Adæ  
Cui Deus aufert ?

IN sinu matris vétulæ ja-  
centi  
Se tibi Verbi páriter la-  
tentis  
Blanda majestas dedit in-  
tuendam  
Lúmine puro.

HUIUS obtútu recreátus ,  
almæ  
Virginis clausum venerá-  
ris alvo ;  
Et rudis fandi , saliendo ,  
caftos  
Promis amóres.

LUMINIS primas ubi carpis  
auras ,  
Vínculo linguæ rélevas  
parentem ;

Prótinus tales modulátur  
hymnos ,  
Númine plenus :

ORTE felici , puer alme ,  
partu ,  
Ut viam sternas , Dómino  
præibis ,  
Dans Palestínæ documen-  
ta plebi  
Certa salútis.

SUMMUS æterno sit honos  
parenti ,  
Filio sit laus , hómini  
Deoque ;  
Et tibi manans ab utró-  
que compar  
Glória , Flamen .  
Amen.

*Pf. & Antiph. de Feria  
ocurrente.*

℣. De venire matris meæ  
Deus meus es tu , ℣. Spes  
mea ab ubéribus matris  
meæ. *Pf. 21.*

*LECTIONES duæ priores  
de Scriptura occurrente ; è  
tribus fiunt duæ.*

*Post i. LECT.* ℣. Erit  
gáudium tibi , & exultatio ,  
\* Et multi in nativitate ejus  
gaudébunt. ℣. Dicétis in  
die illa : Confitémini Dómi-  
no & invocáte nomen ejus.

\* Et. *Luc. 1. If. 12.*

*Post ij. LECT.* ℣. Ecce  
Elisabeth , quæ vocátur  
stérilis , concépit filium in  
senectute sua , \* Quia non  
erit impossibile apud Deum  
omne verbum. ℣. Adhuc  
multiplicabuntur in senecta  
úberi & benè patientes erunt  
ut annuntient : \* Quia non.  
*Luc. 1. Pf. 91.*

## LECTIO iii.

Lectio sancti Evangeli secundum Lucam. c. I.

**F**uit in diebus Herodis regis Iudeæ Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiis Aaron, & nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrösi Episcopi.

Comment. in Luc. Lib. I.  
§. 15. & 16.

**D**ocet nos Scriptura divina non solum mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari; ut veluti transmissa immaculatae puritatis hereditas in iis quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco sancti Evangelistæ, nisi ut sanctus Joannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, mirabilibus, munere, passione? Sic etiam sancti Samuel mater Anna laudatur: sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accépit, quam posteris dereliquit. \* Sacerdos itaque Zacharias, nec solum sacerdos, sed etiam de vice Abia, id est, nobilis inter superiorum familias. Et uxor, inquit, ejus de filiis Aáron. Non solum igitur à parentibus, sed etiam à majoribus sancti Joannis nobilitas propagatur; non seculari potest-

tate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Tales enim majores habent debuit prænuntius Christi, ut non repente conceperant, sed à majoribus acceptam, & ipso infusam jure naturæ prædicare fidem Dominici videretur adventus.

R. Ne timeas, Zacharia; quoniam exaudita est deprecatio tua: & \* Uxor tua Elisabeth páriet tibi filium, & † Vocabis nomen ejus Joannem. V. Dixit Deus: Benedicam uxori tuæ, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum: \* Uxor. Glória Patri. † Vocabis. *Luc. I. Gen. 17.*

V. SACERD. Benedictus es, Dómine, Deus Israel patris nostri, R. Ab æterno in æternum. *I. Paral. 29.*

## AD LAUDES.

## SEMI DUPLEX.

*Ant.* **D**ixit Zacharias ad I. f. Angelum: Ego sum senex, & uxor mea processit in diebus suis. *Luc. I.*

*Ant.* 3. a. Respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gábel, qui asto ante Deum. *Luc. I.*

*Ant.* 8. c. Missus sum loqui ad te, & haec tibi evangelizare, quæ implebuntur in tempore suo. *Luc. I.*

## CANTICUM. de Festis.

*Ant.* 2. D. Erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. *Luc.* 1.

*Ant.* 7. b. Egressus non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quod visio nem vidisset in templo. *Luc.* 1.

CAPITULUM. *Malach.* 3.

**E**cce ego mitto Angelum meum & preparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos queritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.

#### H Y M N U S.

**V**ix humum signas pede,  
mollis infans,  
Montium cæcos penetras  
recessus;  
Hic sacro gaudes tacitam  
sub antro  
Condere vitam.  
**CORPUS**, hisluti spolio  
cameli,  
Melle Sylvestri teris &  
locustis,  
Ne venenato male cor  
inescet  
Laete voluptas.

**LUSTRA** sex vitæ tibi dum  
recurrent;  
Ecce Jordani properas  
ad oram  
Alter Elias, populis su  
pernæ  
Nuntius iræ.  
**AMNE** quot lustras benè  
pœnitentes!  
Autor ut subdant sua  
corda Christo,

Cui datum sancto renovare puras  
Flamine mentes.

HUNC lavas undis nive priorem.

Quæ seges laudis? venit  
undè nomen.

Grande Baptistæ, quod  
ad astra festis  
Tollitur hymnis.

SUMMUS æterno sit honos  
Parenti,  
Summus & Nato; decus  
& potestas  
Sit tibi compar, utriusque  
Nexus  
Omne per ævum.  
Amen.

v. Veritatem tuam, &  
salutare tuum dixi: r. Non  
abscondi misericordiam  
tuam & veritatem tuam.  
*Ps. 39.*

*Ad Benedictus.*

*Ant.* 4. E. Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei,  
Joannes in deserto baptizans & prædicans baptis  
mum pœnitentia in remis  
sionem peccatorum. *Marc.*  
1.

#### COLLECTA. Orémus.

**P**Ræsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familiâ tua per viam salutis incédat; & beati Joannis præcursoris hortamenta secundo, ad eum quem prædixit secûra perveniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat.

## AD HORAS.

DUPLEX-MINUS.

In fine Hymn. Doxologia.

Quem vox Joannis nuntiat,

Jesu tibi sit glòria,  
Cum Patre, & almo Spíritu  
Nunc & per omne sèculum.  
Amen.

## AD PRIMAM.

Ant. i. f. Dixit Zacharias.

In r. br. v. Qui mittis  
Angelum tuum \* ante faciem  
tuam. Mal. 3.

## AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Respondens.

CAPITULUM. Apoc. 22.

Conservus tuus sum, &  
fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui  
servant verba Prophetiae  
libri hujus: Deum adora.r. br. Adorate Deum  
\* Omnes Angeli ejus. Adorare.  
v. Confitimini memoriæ  
\* sanctificationis ejus.  
\* Omnes. Glòria. Adorare.v. Lux orta est justo,  
r. Et rectis corde lætitia.  
P. 96.

## AD SEXTAM.

Ant. 8. c. Missus sum.

CAPITULUM. Num. 23.

Audi fili Sephor: Non  
est Deus quasi homo,  
ut mentiatur: nec ut filius  
hominis, ut mutetur. Dixit  
ergo, & non faciet? locutus  
est, & non implébit?r. br. Recordatus est  
Dóminus \* Misericordia  
sua. Recordatus. v. Et  
veritatis sua \* Dómiui Israe  
l, \* Misericordia. Glòria.  
Recordatus. Ps. 97.v. Fidélis Dóminus in  
omnibus verbis suis. r. Et  
sanctus in omnibus opér  
bus suis. Ps. 144.

## AD NONAM.

Ant. 7. b. Egressus.

CAPITULUM. Tob. 11.

Sacramentum regis abs  
condere bonum est:  
ópera autem Dei revelare  
& confitéri honorificum est.r. br. Aspícite quæ fecit  
nobiscum Dóminus, \* Et  
confitéimini illi. Aspícite.  
v. Credentes quod faciat  
vobiscum \* misericordiam  
suam. \* Et. Glòria. Aspície  
te. Tob. 13.v. Cantáte Dómino canticum  
novum; r. Quia mirabília fecit. Ps. 97.

## DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Omnia, dempto ritu Solemni, ut in die, exceptis  
quæ sequuntur.Psalmi de Feria in toto  
Officio.

## AD OFFICIUM NOCT.

Tres Antiph. v. & r. r. r.  
è Nocturno diei, secundum  
Feriam.

LECTIO

LECTIO iij. de Scriptura  
occurrente, tribus in unam  
junētis.

LECT. ij. & iiiij. ut infrā  
in qualibet die.

AD LAUDES, unica Antiph.  
super Psalmos, qua quarta  
Laudum diei, cum Canti-  
co, Super montem. ut in  
die Festi.

AD HORAS, dicitur  
Alleluia. in Breviario, brev.  
etiam in Festo occurrit.

AD VESPERAS, unica  
Ant. super Ps. qua prima  
Vesp. diei. Post Capitulum  
omittitur Alleluia. cum  
suo. ¶.

DOMINICA  
INTRA OCTAVAM

Fit Commemoratio Octava  
in utrisque Vesperis &  
Laudibus.

AD PRIMAM, dicitur  
Symbol. Quicumque.

DIE XXV.

DE OCTAVA.

LECTIO ij.

Sermo sancti Augustini  
Episcopi.

Serm. 21. de Sanctis.

NAtálem sancti Joannis,  
fratres caríssimi, hó-  
diē celebrámus, quod nulli  
unquam Sanctorum légi-  
mus fuisse concessum. So-  
lius enim Dómini, & beáti  
Joannis dies nativitatis in  
universo mundo celebrátur

APPA.

& cólitur. Hunc enim sté-  
rilis péperit, illam virgo  
concépit: in Elisabeth sté-  
rilitas vincitur, in beáta  
María conceptionis consue-  
tudo mutatur. Elisabeth  
virum cognoscendo filium  
génuit: María Angelo cré-  
didiit, & concépit. Hómi-  
nem concépit Elisabeth  
hóminem & María; sed  
Elisabeth sojurn hóminem.  
María Deum & hóminem.  
Magnus ígitur Joannes,  
cujus magnitudini étiam  
Salvátor testimónium pérhibet,  
dicens: Non surréxit  
inter natos mulierum major  
Joanne Baptista.

LECTIO iiiij. de Feste o-  
currente.

DIE XXVI.  
DE OCTAVA.  
Ut in Breviario.

DIE XXVII.  
DE OCTAVA.

LECTIO ij.

Sermo sancti Basílii magni.

Homil. 2. in Psalm. 28.

Vox Dómini super aquas.  
Qualis vox, super quas  
aquas? Velut prophetam  
acciápamus quod dictum  
est. Memineris Joannis,  
qui interrogátus à Judæis,  
tu quis es? Quod respon-  
sum dábimus iis qui misé-  
runt nos? Respondit: Ego  
vox clamantis in deserto.

E

Igitur vox Dómini est Joannes, Angelus à Deo missus ante faciem Dómini, ut paráret Dómino plebem perfectam. Hæc igitur vox super aquas, erat super Jordánem, in quo baptisabat prædicans penitentiae baptismum. Et non solum in Jordáne, sed etiam in Aenon propè Salim, quia multæ aquæ erant illic. Igitur vox Dómini super aquas, Joannes est super baptismum. Illic & Deus majestatis intónuit. Venit enim vox de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Tunc etiam Dóminus super aquas multas dignatus est descendere in baptisma Joannis, ut compleret omnem justitiam quæ in lege est.

LECTIO iij. ut in Breviario.

---

DIE XXVIII.  
Ut in Breviario.

---

DIE XXIX.  
Ut in Breviario, cum  
Commemoratione Octavae.

---

DIE XXX.  
Ut in Breviario.  
VESPERÆ de die Octava.

---

DIE I. JULII.  
Octava Nativitatis  
S. JOANNIS BAPTISTÆ,  
& Festum  
DECOLLATIONIS EJUSDEM.

DUPLEX-MAJUS.

---

IN I. VESPERIS.  
*Psalmi de Feria.*  
Antiph. & Capit. ut in  
II. Vesp. Festi.

¶. Fuit homo missus à Deo, cui nonen erat Joannes: \* Non erat ille lux, sed ut testimoniū perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. ¶. Surrexit quasi ignis; & verbum ipsius quasi facula ardēbat.  
\* Non erat. Glória Patri.  
\* Non erat. Joan. 1. Eccl. 48.

HYMNUS, QUID moras. ut in II. Vesp. Festi.  
¶. Dixi iniquis. Ant. ad Magnificat J. Dico vobis, ut notatur in Breviario pro ejusdem. Commem. die xxx. Junii.

Fit Commem. SS. Apost. Petri & Pauli, Ant. Principes. ¶. Dómini. Collecta. Deus, qui hodiernam diem, ut in Breviario die xxix.

---

AD OFFICIUM NOCT.  
INVIT. & HYMNUS ut in Breviario.  
IN I. NOCTURNO.  
Antiph. & ¶. è j. Nothunius Martyris.

**LECTIONES de Scriptura occurrente.** RUR. è j.  
Noct. unius Martyris.

**IN II. NOCTURNO.**

*Antiph. v. & RUR. è ij. Noct. unius Martyris.*

**LECTIO iv.**

Sermo sancti Joannis  
Chrysostomi.

*Homil. 28. in Ep. 2. ad Cor.*

**U**T virtute nihil púrius est, improbitate nihil obsecnus est. Illa enim sole splendidior est: hæc cœno fœtidior. Atque hoc suo testimónio compobare illi queant, qui in cœno voluntantur, atque in tenebris versantur, cum ab aliquo eorum, qui in virtute vivunt, sese coargui viderint, vel etiam eum conspéxerint. Tum demum misériam suam apertiū agnoscunt, ac velut immisso quodam rádio fœditatem suam cōtegunt, atque ante consciórum ora erubescunt; etiamsi hic servus sit, ille liber; hic subditus, ille rex. Sic Herodes, cùm reprehensiónum pudorem ferre non posset, (siquidem prophéticæ vocis ingens, ac præclárus splendor erat) Joannem in cácerem conjécit, tanquam qui nudus esset, ac lucernam extinguere conaréatur, ut rursus in tenebris déget. Cur enim non eum contempsit? Num Joannes eum in judicium tracturus erat? Num adulterii pœnas

ab eo expétiit? Nonne reprehensio duntaxat erant ea quæ dicebantur? Quid ergo métuit ac tremit? Annon verba erant, ac simplex sermo. Sed hujusmodi verba magis quam res ipsæ pungébant. Non eum ad judicium, sed ad áliud conscientiae tribunal pertrahébat; annesque eos qui libera cogitatione suffragium tunc ferébant, iudices ipsi constituébat. Quocirca tremebat tyrannus, virtutis splendórem haud ferens. Vides quanta philosophia vis sit? Eum qui caténis vincitus erat, tyranno splendidiorem reddidit; effecit que ut hic illum formidáret ac trémaret.

**LECTIO v.**

*Ex Libro ejusdem ad eos qui scandalizati sunt. c. 22.*

**P**Erpende quomodo afféctum fuisse verisimile est Heródem reprehensum à vincto, cùm cérneret nihil eum de loquendi libertate proper caténam remittere, sed occidi malle quam pulcherrimam illam liberè loquendi facultatem amittere. Cogita quis ex hominibus illius ætaris, vel etiam consequentis ævi, cùm hæc cérneret & audíret, quantumvis deses ac remissus esset, at exiguo tamen iudicio valeret, non sumimam utilitatem inde decérperet. Noli enim mihi commemo-rare sceleratos & stultos hō-

mīnes, socordes, totos cōpori curando addic̄tos, ac fōliis leviōres. Iſti enim non his fōliū, ſed re quavis quāc acciderit, offenduntur: non aliter ac pōpulus Judæo-rum, qui & cūm manna comēderet, & cūm panem, páriter morōſus erat & offendebātur, ſive in Ægypto eſſet, ſive ab Ægypto liberātus, ſive ad eſſet Móyſes, ſive ab eſſet. Verum illos in médium mihi pro-dúcito, qui fōbrii erant & vigiles; & cum ánimo tuo réputa quantam ipſos probáble ſit utilitatem inde percepifſe, cum ánīmā constantem cérnerent, men-tē invictam, linguam máximā libertate loquendi præditam; hōminem deſer-ti incolam, regem ſuperá-re; vinclum eſſe, nec ta-men cédere; cápite truncāri, nec filére.

### LECTIO vij.

**S**ED ne hīc quidem ſubſiſ-te; verū ea quā ſecūta ſunt, exāmina. Caput am-putavit Heródes, cápite truncátus eſt Joannes. Quis ergo beátus ab ómnibus prædicātur? quis imitandus propónitur? quis celebrá-tur? quis coronátur? quis præcóniis ornátur? quis laudátur? quis commendá-tur? quis in hunc uſque diēm reprehendit? Nonne in ſingulis Ecclēſiis hic quidem clamat: Non licet

tibi habére uxōrem fratriſ tui? ille verò diffamātur etiam poſt óbitum ob adul-térium, insániam, & au-daciā? Conſidera verò præter ea quā dicta ſunt, quanta virtus eſſet captivi, quanta tyranni imbecillitas. Nam hič quidem non pō-tuit linguam unam compē-cere; ſed, eā ſublātā, ſex-centa pro illa & cum illa ora reſerāvit. Si quidem unusquisque dum Evangē-lium illud legit, dicit: Non licet tibi habére uxōrem fratriſ tui: & ſine Evangēlio in cœtibus, in congreſſibus, vel etiam ad ipſos últimos mundi límites, hanc vocem ándies; & iustum illum vidébis etiam in claman-tem, inculcantem, & nequitiam tyranni redar-guentem. Quid ergo detri-menti cepit ex óbitu iuſtus ille? quid ex morte violen-ta? quid ex catēna? quid ex carcere? Quos autem non correxit, quibus cor ſáperet, ex iis quā dixit, ex iis quā paſſus eſt, ex iis quā nunc prædicat, eadē priorsuſ quā cūm viveret.

### IN III. NOCTURNO.

*Ant. Dómine, &c. ut in Breviario.*

### LECTIO vij.

Léctio sancti Evangēlii ſe-cundūm Marcum. c. 6.  
**I**N illo tēpore; Heródes misit, ac tenuit Ioan-nem, & viñxit eum in car-

cere, propter Herodiadēm uxōrem Philippi fratris sui. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrōsii Episcopi.

Lib. 3. de Virg. c. 6. n. 26.

**Q**uoniam Joannis prænuntiū Christi non stricūm prætereunda est recordatio; interest ut quis, & à quibus, & quam ob causam, quo modo, & quo tempore fit occisus, advertere debeamus. Ab adulteris justus occiditur, & à reis in iudicem capitālis sceleris pœna convertitur. Deinde præmium saltatricis, mors est Prophetae. Postremo (quod etiam omnes bárbari horrere consueverunt) inter épulas atque convivia consummandæ crudelitatis profertur edictum; & à convívio ad cácerem, de cárcere ad convívium, ferális flagitiis circumfertur obséquium. Quanta in uno facinore sunt crima!

LECTIO viii. n. 29.

**Q**uis non cùm ē convivio ad cácerem cursare vidéret, putaret Prophétam iussum esse dimitti? Quis, inquam, cùm audisset natálem esse Heródīs, solemne convívium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Joannem ob soluionem non arbitrarétur? Quid crudelitati cum deliciis? Quid cum fúneribus voluptati? Rápitur

ad pœnam Prophéta, convivali tempore, convivali præcepto, quo non cíperet vel absolvī: perimitur gladio, caput ejus affertur in disco. Hoc crudelitati férulum debebatur, quo insatiata épulis féritas vesce-retur.

LECTIO ix. n. 30.

**I**ntré, rex acerbissime, tuo spectacula digna convívio. Porrige dexteram, ne quid saevitiae tuæ desit, ut inter digitos tuos iivi defluant sancti crucis. Et quóniam non exsaturari épulis fames, non restinguiri poculis potuit inauditæ saevitiae sitis; bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exlecti cæpitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumen, non tam mortis necessitate, quād horrōre luxuria. Os aureum illud exangue, cuius sententiam ferre non poteras, conticescit, & adhuc timetur.

DIE XXVII. JUNII.

**C**In Ecclesiis sub invocatione S. Petri dedicatis fit hodie per anticipationem de SS. Irenao & sociis ejus propter Vigiliam SS. Apostolorum de qua juxta Rubricas generales debet fieri Officium crastinā die.

E 3

## DIE XXVIII.

In Vigilia

SANCT. APOSTOLORUM  
PETRI & PAULI.

¶ Si venerit in Dominica,  
Officium fiet de Dominica  
usq[ue] ad versiculum tertii  
Nocturni exclusivè: reliqua  
de Vigilia, id est, septi-  
ma & Octava Lectio de  
Evangelio & Homilia, ut  
in Breviario, ex una sicut  
due: Lectio ix. de Evang.  
& Homil. Dominica occur-  
rit. ut infra. Et dicitur  
Te Deum.

AD LAUDES, Commem.  
Dominica.

AD PRIMAM, non dici-  
tur Symbol. Quicumque.

¶ Si Vigilia ista venerit  
in Feriis, Officium fit ut  
sequitur.

## AD OFFICIUM NOCT.

INVIT. Christum Aposto-  
lorum Magistrum & Dó-  
minum, \* Venite, ado-  
rémis.

Ps. 94. Venite. 146.

H Y M N U S.

A MBO divini Próceres  
Senátus  
Príncipes cœli, sōci  
labórum,  
Quos amor junxit, simul  
una jungat  
Pompa triumphi.  
PAR fides, & par utriusque  
votum,  
Corda divino penetrante  
verbo,

Sub jugo Christi nimis  
obstinatas  
Sūbdere gentes.

MAGNA vos vedit stupuit-  
que Roma,  
Roma tot diris habitata  
monstris;  
Vedit excisis pénitū se-  
pulta  
Númina fanis.

TOTUS in Roma superatus  
orbis:

Par locus tantis utriusque  
palmis,  
Usque cœlestis pretiosa  
servar

Sémina verbi.

LAUS Deo Patri, genito-  
que Verbo,  
Laus tibi compar utrius-  
que Flamen:

Nosque fac, tantis duci-  
bus, beatos  
Tāngere portus. Amen.

Psalmi & Antiph. de Fe-  
ria occurrente.

¶ Annuntiáte inter gen-  
tes gloriā Dómini: ¶ In  
omnibus populis mirabilia  
ejus. Ps. 95.

LECTIONES due priores  
de Scriptura occurrente, ex  
tribus due.

Post j. LECT. ¶ Magni-  
ficentiam gloriæ sanctitatis  
tua loquentur: & mirabilia  
tua narrabunt: \* Ut noram  
faciant filiis hominum po-  
tentiam tuam, & gloriæ  
magnificentiae regni tui.  
¶ Duo testes prophetá-  
bunt: hi habent potestatē  
claudendi cœlum, & per-

28. JUNII. In Vigil. SS. Apost. Petri & Pauli. 103

cútere terram. \* Ut notam.  
Ps. 144. Apoc. 11.

Post ij. LECT. R. Cùm finierint testimónium suum, béstia , quæ descendit de abyssu , \* Fáciet adversum eos bellum , & vinceat eos , & occidet eos. ¶. Rex impudens facie , suprà quam credi potest , universa vastabit , & contrà Príncipem príncipum consurget. \* Fáciet. Apoc. 11. Dan. 8.

LECTIO iij. de Vigilia ut in Breviario.

R. iij. Illi viri misericórdiae sunt , quorum pietates non defuerunt. \* Sapiéntiam ipsorum narrent populi , & laudem eorum nuntiet Ecclésia. ¶. Amodò jam dicit spíritus , ut requiescant à labóribus suis , opera enim illorū sequuntur illos. \* Sa- piéntiam. Glória. \* Sapiéntiam. Eccli. 44. Apoc. 14.

¶. SACERD. Afferte Dómino , filii Dei , R. Afferte Dómino , gloriā & honórem. Ps. 28.

---

## AD LAUDES.

### SEMI DUPLEX.

Ant. I Sti sunt duo filii 3. a. I ólei , qui assistunt Dominatóri universæ terræ. Zach. 4.

Ant. 2. D. Testamentum æternum constituit cum illis : & magnalia honoris ejus vident oculus illorum. Eccli. 17.

Ant. 8. G. Erit sacerdos super sólio suo , & consí-

lium pacis erit inter illos duos. Zach. 5.

### CANTICUM. de Festis.

Ant. 5. a. Ipsí duo constituti , prohibére gentem à peccatis , & inducere illos in hæreditatem. Eccli. 46.

Ant. 4. E. Sit memória illórum in benedictiōne , & nomen eórum permáneat in æternum. Eccli. 46.

### CAPITULUM. Eccli. 44.

I Sti in generatiōibus gentis suæ gloriā adēpti sunt , & in diébus suis habentur in laudibus.

### H Y M N U S.

SUPREME Princeps , dux gregis , Qui clauta pandis sidera , Spectante Româ clárior Intras olympum sanguine.

AFFIXUS alto stípiti , Invertis in terram caput : Quò te magis nunc déjicis , Hoc mente major émicas.

NON ausus erectæ crucis Ambire Petrus gloriā , Ccelo daturus spiritum Pedes adorat núminis.

PAULUS magister géntium Mactatur enfe víctima ; Minorque ponit vérticem Christo suprémo vértici.

CURSUS perégit impigros , Gaudetque Christo pérfrui ; Labore partis árduo Victor corónis cíngitur.

UNI sit & trino Dco Supréma laus , summum decus , De nocte qui nos ad suæ Lumen vocávit gloriæ.

Amen.

¶. Déxtera tua, Dómine, salvávit eos: R. Quóniam complacuisti in eis.  
Ps. 43.

*Ad Benedictus.*

*Ant.* 1. D. Tentati sunt Patres nostri, & per multas tribulatiōnes transiérunt fidēles. *Judit.* 8.

*COLLECTA, ut in Breviario.*

---

AD HORAS.

*D U P L E X - M I N U S .*

*In fine HYMNORUM,*  
*Donol.* UNI sit & trino,  
*suprà.*

---

AD PRIMAM.

*Ant.* 3. a. Iſti sunt.  
*In R. br.* ¶. Qui es Caput \* corporis Ecclésiae. *Coloff.* 1.

---

AD TERTIAM.

*Ant.* 2. D. Testamentum.  
**CAPITULUM.** *Ecli.* 17.  
**P**osuit óculum suum super corda illórum, ostendere illis magnalia operum suórum, ut nomen sanctificationis collaudent, & gloriári in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.

R. br. Nolite \* Tangere christos meos. Nolite. ¶. Et in prophétis meis \* Nolite malignari. \* Tangere. Glória Patri. Nolite. Ps. 104.

¶. Gládii ancípites in manibus eórum; R. Ad faciendam vindictam in nationibus. Ps. 149.

---

AD SEXTAM.

*An:* 8. G. Erit sacerdos.

**CAPITULUM.** *Galat.* 2.

**C**um cognovissent grātiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dérunt mihi, & Barnabæ societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisōnem.

R. br. Exaltent eum \* In Ecclésia plebis. Exaltent. ¶. Et in cáthedra seniorum \* laudent eum. \* In. Glória. Exaltent. Ps. 106.

¶. Ecce quām bonum & quām iucundum, R. Habitare fratres in unum. Ps. 132.

---

AD NONAM.

*Ant.* 4. E. Sit memória.

**CAPITULUM.** *Ecli.* 44.

**H**æreditas sancta nepōtes eórum, & in testamētis stetit semen eórum; & filii eórum propter illos, usque in æternū manent: semen eórum & glória eórum non derelinquetur.

R. br. Pro pátribus tuis \* Nati sunt tibi filii. Pro pátribus. ¶. Constitues eos príncipes \* super omnem terram. \* Nati sunt. Glória. Pro pátribus. Ps. 44.

¶. Príncipes Iuda, duces eórum: R. Príncipes Zabulon, Príncipes Néphali. Ps. 67.

## DIE XXXIX.

IN FESTO

**SANCTORUM APOSTOLORUM  
PETRI ET PAULI.**

*Omnia ut in Breviario, servato ritu Annuali-majori.*

## DIE XXX.

*Omnia ut in Breviario.*

## DIEBUS I. &amp; II. JULII.

*Omnia ut in Breviario.*

## DIE III.

## DE OCTAVA.

*Lectio ij.*

Sermo sancti Augustini,  
Episcopi.

*Ser. 295. in Nat. SS. Petri & Pauli. 3.*

**C**elebrámu diem festum, Apostolorum nobis sanguine consecratum. Amémus fidem, vitam, labores, passiones, confessiones, prædicaciones. Proficimus enim amando; non ista propter carnalem lætitiam celebrando. Mártires enim à nobis quid querunt? Minus habent, si adhuc laudes hóminum querunt.

Si adhuc laudes hóminum querunt, nondum vicérunt. Si autem vicérunt, à nobis propter se nihil querunt, sed propter nos ipsos querunt. Dirigátur ergo via nostra in conspectu Dómini. Arcta erat, spinosa erat, dura erat: tálibus tamque multis transeuntibus lenis facta est. Tránsit ipse prior Dóminus, transíerunt Apóstoli intrépidi, póstea Mártyres, púeri, mulieres, puellæ. Sed quis in eis? Ille qui dixit, Sine me nihil potestis facere.

*Lectio iii. de S. Martiali, duabus in unam junctis, & de eo fit Commem. ad Laudes & Vesp.*

DIE IV.  
DE OCTAVA.

*Lectio ij.*

Ex Epistola prima sancti Clementis, Papæ & Mártyris ad Corínthios.

**P**etrus ob iniuriam æmulationem non unum aut alterum, sed multos sustinuit.

Ej,

nuit labores; atque ita Martyr effectus, discessit ad debitum gloriæ locum. Propter æmulationem Paulus patientiæ præmium obtinuit, cum catenas septies portasset, vapulasset, lapidatus esset; præco factus in Oriente ac Occidente, eximium fidei suæ decus accépit, totum mundum docens justitiam; & ad Occidentis terminum véniens, & sub principibus martyrium passus, ita è mundo migravit, atque in locum sanctum abiit, pa-

cientiæ magnum exemplar factus.

*LECTIO iiij. de S. Martino, duabus in unam junctis, & de eo fit Commem. ad Laudes & Vesp.*

## DIE V.

## DE OCTAVA.

*LECTIO ij. & iij. De sermone sancti Leonis. ut in Breviario, divisione facta ad hæc verba: Isti sunt patres tui.*

*VESPERÆ de die Octava, ut in Breviario.*

## DIE XXX. JUNII.

IN COMMEMORATIONE  
SANTI PAULI.

*Si Commemor. S. Pauli celebretur ritu Annuali, omnia ut in Breviario additis qua sequuntur.*

## IN I. NOCTURNO.

*LECTIO j.*

*De Actibus Apostolorum. Cap. 20.*

**P**roposuerat Paulus transnavigare Ephesum; ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, quā ingressus sum in Asiam,

## IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Dominica. Fit Commem. S. Petri ut habetur post II. Vesp. S. Pauli.*

## AD COMPLETORIUM.

*Ant. de Communi Apostolorum.*

## AD OFFICIUM NOCT.

*Psalmi de Communi Apostolorum.*

Quáliter vobiscum per omne tempus fuerim, sérviens Dómino cum omni humilitate, & lácymis, & tentationibus, quæ mihi accidéunt ex insidiis Judæórum: quómodò nihil subtráxerim utilium, quóminus annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos, testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

## LECTIO ij.

**E**T nunc ecce alligátus ego spíritu vado in Iérusalém, quæ in ea ventúra sint mihi ignórans: nísi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens, quóniam víncula & tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretiosiorem quám me, díummodo consummam cursum meum, & ministérium verbi, quod accépi à Dómino Jesu, testificári Evangélium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio quia amplius non vidébitis fáciem meam, vos omnes per quos transví praedicans regnum Dei. Quapropter contéstor vos hodiernā die quia mundus sum à sanguine ómnium. Non enim subterfugi, quóminus annuntiárem omne consilium Dei vobis.

## LECTIO iiij.

**A**tténdite vobis, & uni- vésso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos, régere Ecclésiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiōnem meam lupi rapáces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent virti loquentes perversa, ut abdúcant discipulos post se. Propter quod vigiláte, memoriā retinente: quóniam per triénium nocte & die non cessávi, cum lácymis monens unumquemque vestrum. Et nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hereditatē in sanctificatióis ómnibus. Argentum & aurum, aut vestem nullius concupívi, sicut ipsi scitis, quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quóniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magis dare quám accipere. Et cùm hæc dixisset, pósitis génibus suis oravit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium; & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes máxime in verbo quod

108 22. JULII. In FESTO S. MARIA MAGDALENAE.

dixerat: quóniam amplius faciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

IN LAUDIBUS, Psalmi de Dominica, Canticum Iuda, ut in FESTO S. PETRI. Commem. S. PETRI.

AD HORAS.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMA M.

CANON ut in Officio Patroni.

IN II. VESPERIS.

Psalmi de Comm. Apost.

Alleluia. cum v. ut in Communi. Commemoratio sequentis & S. PETRI.

---

## DIEBVS

INTRA OCTAVAM.

Omnia ut suprà notatum est diebus intrà Octavam S. Petri.

---

## DIE VI.

Completur Octava sancti PAULI, unà cùm Octava S. PETRI, ut in Breviario.

---

## DIE XXII. JULII.

IN FESTO

# S. MARIAE MAGDALENÆ.

---

¶ Si Festum S. Maria Magdalenes celebretur ritu Annuali, omnia ut in Breviario, exceptis qua sequuntur.

---

## AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. a. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ querenti illum. Thren. 3.

Ad Nunc dimittis.

Ant. 5. a. Invéni quem dilit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Cant. 3.

---

## AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de Communi Virginum, intrà.

IN I. NOCTURNO.

LECTIO j.

De Canticis Canticorum. Cap. 3.

P Er noctes quæsivi quem dilit anima mea: quæsivi illum, & non invéni. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateras quæram quem dilit anima mea: quæsivi illum, & non invéni. Invenérunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem dilit anima mea vidistis? Paúlulum cùm pertransilsem eos, invéni quem dilit anima mea: tenui eum, nec dimittam.

## LECTIO ij. cap. 5.

**S**urrexi ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrram, & dígití mei pleni myrrâ probatissimâ. Péssulum ostii mei apérui dilecto meo: at ille declináverat, atque tránsierat. Anima mea liquefacta est, ut locútus est: quæsivi, & non invéni illum; vocávi, & non respóndit mihi. Invenérunt me custódes qui circumeunt civitatem: percussérunt me & vulneravérunt me; tulérunt pállium meum mihi custódes murorum. Adjúro vos, filiae Jerúsalem, si invenéritis dilectum meum, ut nuntiétis ei quia amore lángueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurássi nos? Dilectus meus cándidus, & rubicundus, électus ex millibus.

## LECTIO iij. cap. 8.

**Q**uis mihi det te fratrem meum, sugéntem ubera matri meæ, ut invéniam te foris, & deósculer te, & jam me nemo despiciat? Apprehéndam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docébis; & dabo tibi poculum ex vino cónditio, & mustum malorum gránatorum meórum. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illius amplexabitur me. Ad-

júro vos, filiae Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigilare faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto, deliciis affluens, innixa super diléctum suum? . . . Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulatio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritatem, nec flúmina óbruunt illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

## AD LAUDES.

*Psalmi de Dominica, cum Cantico sequenti*

CANTICUM. Sap. 6.

**S**apiéntia facile videtur ab his qui diligunt eam, \* & invenitur ab his qui quærunt illam.

Præoccupat qui se concupiscunt, \* ut illis se prior ostendat.

Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborabit: \* assidentem enim illam fóribus suis invéniet.

Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus; \* & qui vigiláverit propter illam, citò securus erit:

Quóniam dignos se ipsa círcuit quærens, \* & in viis ostendit se illis hilari-

110 29. JULII. Octava S. Mariae Magdalenes.

ter, & in omni providéntia occurrit illis.

A D H O R A S.

*Psalmi de Dominica.*

A D P R I M A M.

C A N O N , ut in FESTO  
P A T R O N I .

A D V E S P E R A S.

*Psalmi de Communi  
V i r g i n u m .*

Alleluia, alleluia. Christus resurrexit tertiam die secundum scripturas, & visus est mihi. Alleluia. 1. Cor. 15.

detinéri. Fide enim humilis, & ignára, quærerit quod nescit, obliuiscitur quod docetur: festina quidem est ad obsequium, sed non perfecta est ad credendum. Anxia est de Domínicae carnis injuria, sed incerta de resurrectionis glória. Plorat quidem amore Christi, sed moeret desperatione corporis non reperti: periisse putat, quem jam regnare contabat: scrutatur eum in tumulo, quem vocare potius debéret ē cœlo.

#### LECTIO V.

D I E B U S  
I N T R A O C T A V A M .  
S E M I D U P L E X .

Officium ordinatur ut  
supra in FESTO Patroni.

L E C T I O N E S ibidem.

D I E X X I X .

Octava.

S A N C T Æ M A R I Æ  
M A G D A L E N E S .

I N II. N O C T U R N O .

Sermo sancti Máximi.

Episcopi.

D e sepult. Dom. & de Ma-  
ria Magd.

L E C T I O IV .

Maria Magdalene non  
lèviter fuit objurgá-  
ta, cum post resur-  
rectionem Dóminum quæ-  
reret in sepulcro; &, non  
reminiscens verborum ejus  
quibus se ab inferis tertiam  
die redditum esse dixerat,  
putaret eum inferni légibus

I Ncrepátur igitur María  
tanquam pígrior ad cre-  
dendum; & cum, sera li-  
cet, Dóminum cognovis-  
set, dicitur ei à Salvatore:  
Noli me tángere, quia non  
dum ascendi ad Patrem.  
Noli me tángere, increpa-  
tiónis verbum est: hoc est,  
Noli me tángere manibus,  
quóniam resurrectionem  
meam mentis oblívione non  
rétines. Nondum, inquit,  
ascendi ad Patrem, hoc est,  
Tibi nondum ascendi ad  
Patrem, quia apud fidem  
tuam adhuc detineor in se-  
pulcro. Quantum in te est,  
adhuc humilibus immoror;  
adhuc inhæreo terrénis,  
quia nondum me fides tua  
elevávit ad cœlum. Quid  
ergo me festinas contingere  
ut Dei Filium, quem re-  
deuntem ad Patrem, mentis  
intentione non séqueris?

## LECTIO vij.

**Q**uisquis igitur vult contingere Dominum Salvatorem, prius illum debet fide suâ ad dexteram Divinitatis impónere; & credulitatem cordis collocare in cœlestibus, pótius quam inter defunctos inquirere. Illi autem ascendit Dominus ad Patrem, qui eum semper esse credit in Patre. Ascendit beato Paulo, qui non contentus solum se scire quod növerat, nos quoque docuit quemadmodum Salvatorem in cœlestibus quæreremus, dicens: Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Et ut nos ab hac humili vel terréna inquisitione Maríæ pénitus submovéret, addidit: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ergo jam non super terram, nec in terra, nec secundum carnem debémus quærere Salvatorem, si volamus eum invenire atque contingere; sed secundum Divinæ Majestatis gloriā, ut dicamus cum Apóstolo Paulo: Nunc autem secundum carnem non növimus Christum.

## IN III. NOCTURNO.

## LECTIO viii.

Lectio sancti Evangélii secundum Joannem. c. 20.  
**I**n illo tempore; María stabat ad monumentum foris, plorans. Et reliqua.

Homilia sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi.

Comment. in Caput. 20.  
Joan.

**N**on concéssit Dominus corporis sui tactum mulieri quamvis concipiēti; mercédem autem perseverantiae lacrymarumque suarum duplīcem illico redidit. Nam in ea prima univerſum mulierum genus, ut in superioribus diximus, à mōrō ac lácrys mis ad lēticiam revocatur; & quemadmodum in Paradiſo, quóniam diábolo mulier ministravit, in dolóribus paritaram se filios audivit; ita nunc in horto à maledictiōne liberata, plorare prohibetur. Hæc igitur una merces est. Altera, quia mittitur ad Discípulos nūntia, ut eis hoc Evangeliū afferat, quod Christus jam surrexit, & ascéndit ad Patrem; ut véluti prima mulier, quia diábolo ministravit, & se & mulierum genus unā perdidit; sic & mulier, quia Christo ministravit, muliebre genus à maledictiōne in se prima liberavit.

## LECTIO viii.

**L**argitur ergo illi Dominus primum ne ploret, neve dolori animū subjiciat; deinde mirabilem quandam pedum pulchritudinem; pulcherrimi enim sunt, ut Prophéta dicit, pedes evangeliázantiū bonum.... Multò fer-

véntior hæc ceteris muliéribus fuerat, præcedebatque álias quasi dux ac principes illarum. Non ignoramus autem evéntus rerum principalioribus plerūmque attribui. Ad honórem igitur & glóriam Magdaléne à Salvatōre concéssum est,

ut hæc posset ad discípulos Evangélium deférre, quia Christus surréxit, & ad Patrem, ac Deum suum & Discipulórum ascéndat.

*Lectio ix. De sancto Lupo Trecensi ut in Breviario, & ejus commem. in Laudibus & Vesperis.*

DIE XXVI.

IN FESTO

SS. JOACHIM ET ANNÆ.

*Si Festum SS. Joachim & Anna celebretur ritu Annuali, omnia ut in Breviario & Officio de Patrono, exceptis quæ sequuntur.*

## AD COMPLETORIUM.

*Ant. 6. F. Bonum est præstolári cum siléntio salutare Dei. Thren. 3.*

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant. 5. a. Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Tob. 2.*

## AD OFFICIUM NOCT.

## IN I. NOCTURNO.

*Pf. Dómine in virtute tua. 78.*

*Pf. Eructávit. 135.*

*Pf. Deus noster refugium. 136.*

## LECTIO j.

De Libro secundo Regum.

*Cap. 7.*

**F**actum est in illa nocte: & ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: Vade, & loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitávi in domo ex die illâ quâ edúxi filios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc; sed habitábam in tabernáculo, & in tentório. Per cuncta loca quæ transívi cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locútus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcépi ut pásceret populum meum Israel; dicens quare non ædificástis mihi domum cédrinam?

## LECTIO ij.

**E**T nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dóminus exercituum: Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut essem dux super pòpulum meum Israel; & fui tecum in ómnibus ubi cùmque ambulasti, & interfeci univérsos inimicos tuos à facie tua: fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. Et ponam locum pòpulo meo Israel, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur amplius: nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius, ex die quâ constitui júdices super pòpulum meum Israel: & requiem dabo tibi ab ómnibus inimicis tuis. Prædicít que tibi Dóminus, quod domum faciat tibi Dóminus.

## LECTIO iij.

**C**umque compléti fuerint dies tui, & dormieris cum pátribus tuis, suscitabo semen tuam post te, quod egrediétur de útero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nòmini meo, & stabilitam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagiis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non

aúferam ab eo, sicut ábstuli à Saïl, quem amóvi à facie mea. Et fidélis erit dominus tua & regnum tuum usque in ætérnum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus júgiter.

## IN II. NOCTURNO.

*Pf. 71.* Deus judícum tuum regi da. *integer.* 48.

\**Pf. 84.* Benedixisti, Dómine, terram tuam. 52.

*Pf. 86.* Fundaménta. 137.

## IN III. NOCTURNO.

*Pf. 88.* Misericórdias Dómini. 89.

*Divisio.* Beatus pòpulus.

89.

*Altera divisio.* Semel jurávi. 90.

## AD LAUDES. ET HORAS.

*Psalmi de Dominica. Canticum ut in Comm. Justorum, infrà.*

## AD PRIMA M.

*Canon de Patrono..*

## AD VESPERAS.

*Psalmi de Dominica, ultimo excepto, cujus loco dicitur Psalmus Meménto. 157. & dicitur integer.*

*Post. CAPIT.* Alleluia, alleluia. ¶ Nomen eorum vivit in generationem & generationem. Allel. Eccli. 44.

*Nulla fit Commemoratio.*

## DIEBUS

## INTRA OCTAVAM.

*Omnia ut in Officio Patroni, suprà.*

## DIE II. AUGUSTI.

OCTAVA

SS. JOACHIM &amp; ANNAE.

Pridie IN VESPERIS s̄t  
Commem. S. PETRI ad  
Vincula. Tum S. STE-  
PHANI Papa & Maryris.

*Omnia ad reliquum Offi-  
cium ut in die. Psalmi de  
Feria.*

## IN I. NOCTURNO.

*LECTIONES de Scriptu-  
ra occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*LECTIO iv.*

De Sermone sancti Joannis  
Damasceni.

*Hom. 1. in Nativ. B.M. V.*

§. 9.

**V**itis uberrima ex Anna pullulavit, uva que suavissima efflòruit potum nectaris terrenis fundens in vitam æternam. Jóachim & Anna ad justitiam sibi ipsi semiñarunt, ac vita fructum messuerunt. Scientiae lumen sibi illuminarunt, ac Dóminum exquisierunt, venique illis germen justitiae. Audaciam sumat terra, ac filii Sion. Gaudete in Dómino Deo vestro, quia germinavit desertū: stérilis protulit fructum suum.

*LECTIO v.*

**J**oachim & Anna ut montes spirituales dulcedinem stillaverunt. Lætare, beata Anna, quod feminam pepéreris. Hæc enim

femina Dei mater futura est, porta lucis, fons vitae; & feminarum crimen abolit. Hujus feminæ vultum deprecabuntur omnes divites plebis. Feminam hanc reges gentium munéribus oblatis adorabunt. Hanc feminam Deo universorum regi offeres, virtutum, tanquam simbriis aureis, circumactam elegantiā, sanctique Spíritus gratiā coronatam, cuius gloria ab intus. Omnis qui ppe feminæ gloria vir est, à foris véniens: At Dei genitricis gloria ab intus est, ventris utique fructus.

*LECTIO vii. Hom. 2. §. 5.*

**A**Ge jam videamus, ex quo génere semper virens virginitatis ramus recta venerit; quis génitor, quæve génitrix illius extiterit. Jóachim scilicet & Anna, illustre celebratissimumque Verbi pars, conjugiis omnibus divinior compages. Cujus enim ramus omnia exuperat, cur radix cum eo non maximè congruat?... Limpidissimus fons, sed qui nullum fluéntum emittébat. Quid igitur? ( Clamaverunt justi; & Dóminus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos ).... Exaudiuit itaque eos Dóminus, qui velox fit ad miserandum & tardus ad iram, donans eam quæ proprie Mariae nomen gerit, in

splendidum & magnificum  
pro Eva prætium.

## IN III. NOCTURNO.

## LECTIO vij.

Lectio sancti Evangelii se-  
cundum Lucam. c. 3.

**I**N illo tempore; Jesus  
erat incipiens quasi annorum  
triginta, ut putabatur  
filius Joseph, qui fuit Heli.  
Et reliqua.

Homilia sancti Ambrōsii  
Episcopi.

Expos. Evang. secund. Luc.  
L. 3. §. 13.

**Q**UOD per Salomonem  
Matthaeus generatiō-  
nem derivādām pu-  
tavit, Lucas verò per Na-  
than, alter regalem, alter  
sacerdotalem Christi fami-  
liam videtur ostendere.  
Quod non ita accipere de-  
bēmus, quod aliterum altero  
vérius, sed alter alteri pari-  
fide & veritatem concordet.  
Fuit enim verè & secundum  
carnem regalis & sacerdotá-  
lis familiæ rex ex régibus,  
sacerdos ex sacerdóribus,  
licet oráculum non de car-  
nálibus, sed de cœlestib⁹  
exprimatur; quóniam & rex  
in Dei vittute lætatur, cui  
judicium à Patre rege de-  
fertur, & sacerdos in æternum  
secundum quod scrip-  
tum est: Tu es sacerdos in  
æternum secundum ordinem  
Melchisdech. Bene  
igitur utérque tenuit fidem,

ut Matthæus per reges due-  
tam originem comprobaret;  
& Lucas per sacerdotes à  
Deo transmissam in Chris-  
tum sériem gêneris dedu-  
céndo, sanctiorem ipsam  
originem declararet.

## LECTIO viii. §. 43.44.

**Q**UÓMODÒ Scriptura sól-  
vitur, quæ regnare  
eum dicit, & regnare non  
adstruit?... Interrogémus  
scripturas: invenimus quia  
regnum Dómini non est de  
hoc mundo; ipse enim dixit:  
Regnum meum non est de  
hoc mundo. Qui dicit non  
esse de hoc mundo regnum  
suum, osténdit esse suprà  
mundum. Ita & erat regnum  
ejus, & non erat: non erat  
in século, erat suprà sécu-  
lum. Erat ergo regnum aliud  
veri David, quod solus  
Christus accépit; & erat  
semen aliud David quod in  
æternum manet, de quo  
solus generatus est Christus,  
qui solus verus filius David,  
cujus etiam solus nomen  
accépit, juxta quod scrip-  
tum est: Invéni David ser-  
vum meum, in óleo sancto  
unxi eum; quod útique non  
de prophéta David, sed de  
Dómino dici præmissa dé-  
clarant....: Pósui adjutó-  
rium super potentem, &  
exaltávi éléctum de pôpulo  
meo: solus enim potens,  
solus éléctus est Christus.  
Sanctorum enim majus in

fide quām in generatione & ejus commem. in Laudibus.  
semen est; & idēo Apóstolus: Si enim qui ex fide sunt,  
hi filii sunt Abrahæ.

LECTIO ix. de S. STEPHANO Papa & Martyre,

IN II. VESPERIS.

Commem. sequentis ut in  
Breviario.

DIE I. AUGUSTI.  
IN FESTO  
S. PETRI AD VINCULA.

*Si Festum sancti Petri ad Vincula sit Annuale aut Solemne-Majus, omnia ut in Breviario, supplendo ea que defunt, ē Communione unius Martyris, & addendo ea que sequuntur.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Psalmi de Communione unius Martyris.*

IN I. NOCTURNO.

LECTIO i.

De Actibus Apostolorum.

*Cap. 12.*

**M**isit Heródes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclésia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gládio. Videns autem quia pláceret Judæis, appósuit ut apprehéderet & Petrum. Erant autem dies azimórum. Quem cùm apprehendisset, misit in cárcerem, tradens quatuor quaterniónibus mí-

litum custodiendum, volens post Pascha prodúcere eum populo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Oratione autem siébat sine intermissione ab Ecclésia ad Deum pro eo.

LECTIO ii.

Cum autem producturus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vincitus caténis de áabus: & custódes ante ostium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Domini ástigit; & lumen refúlsit in habitáculo, percussóque latere Petri, excitávit eum dicens: Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de manib⁹ ejus. Dixit autem Angelus ad eum; Præcingere & cálcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & séquere me. Et éxiens se-

quebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiām, venérunt ad portam ferream, quae dicit ad civitatem; quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum. Et continuo discessit Angelus ab eo.

## LECTIO iiiij.

**E**T Petrus ad se revērsus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dóminus Angelum suum, & eripuit me de manu Heródī, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Consideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes. Pulsante autem eo ostium jānuæ, processit puella ad audiendum, nōmine Rhode. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non apertejūt jānuam, sed, intrò currens nuntiavit stare Petrum ante jānuam. At illi dixerunt ad eam: Infanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, vidérunt eum & obstupuerunt. Annuens autem eis manu ut tacérent, narrávit quomodo Dóminus eduvilset eum de carcere, dixit-

que: Nuntiáte Jacóbo & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

## IN II. NOCTURNO.

*Ex unica Lectione quæ reperitur in Breviario sunt tres, divisione factâ ad hæc verba: Non ita. &, Ultimò Romæ.*

## IN III. NOCTURNO.

*Antiph. v. & RIBERI. ut in Breviario.*

## LECTIO viij.

Lectio sancti Evangeliū secundum Matthæum. c. 16.

**I**N illo tempore; Venit Jesus in partes Cæsaræ Philippi, & interrogabat discípulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et réliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

*In Matth. Hom. 55. n. 1.*

**V**OS verò quem me esse dicitis? Quid igitur os Apostolorum Petrus? Semper fervens, chori Apostolici coryphæus, cùm omnes interrogari essent, ipse responderet. Et cùm de sententia populi Christus sciscitaretur, omnes responderunt: cùm autem de sua eos rogaret, Petrus proflit & prævertit, aitque: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Quid ergo Christus? Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiæ meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: &, Quæcumque solveris

super terram , erunt soluta  
& in cœlis. Viden quómodò  
ad sublimiorem de se op-  
niōnem Petrum érigat , &  
scipsum revélet , ac per  
hasce duas promissiōnes se  
Filiū Dei esse ostendat ?  
Nam quæ uni Deo sunt pró-  
pria , nempe peccāta sölve-  
re , Ecclésiam in tanto fluc-  
tuū concursu immótam  
réddere , hominemque pí-  
catōrem , toto impugnante  
orbe , petrā firmiōrem réd-  
dere , hac se illi datúrum  
pollicétur : sicut Pater Jere-  
miam álloquens , dicébat se  
pósuisse illum sicut colum-  
nam æream & sicut murum ;  
sed illum uni genti , hunc  
autem in universo terrárum  
orbe .

## LECTIO viij. n. 2.

**L**ibenter quærerem ab iis  
qui dignitatem Filii mi-  
norem quam Patris volunt ,  
quæ majóra sint dona , an  
quæ Pater , an quæ Filius  
Petro dedit. Nam Pater re-  
velatiōnem Filii Petro de-  
dit ; Filius verò & Patris &  
suam revelatiōnem per to-  
tum orbem disseminávit ,  
ac mortali hómini omnem  
in cœlo porestátēm dedit ,  
dum claves illi trádidit , qui  
Ecclésiam per totum terrá-  
rum orbem extendit , &  
cœlis firmiōrem monstrávit.  
Nam ait : Cœlum & terra  
transibunt ; verba autem  
mea non transibunt. Quó-  
modò ergo minor is qui  
tália dedit , qui tália fecit ?

Hæc porró dico , non quod  
Patris & Filii ópera di-  
vidam : ómnia enim per ipsum  
facta sunt , & sine ipso fac-  
tum est nihil ; sed ut impu-  
dentem illórum linguam  
réprimam , qui tália pro-  
ferre audent. Ex his autem  
ómnibus ejus poténtiam  
animadverte : Ego tibi di-  
co , tu es Petrus : ego ædi-  
ficábo Ecclésiam : ego tibi  
dabo claves cœlorum.

## LECTIO ix. n. 3.

**C**um hæc dixisset , præc-  
pit eis ut néminī dice-  
rent quod ipse esset Christus.  
Et cur præcépit ? Ut scán-  
dalos de médio sublatis , &  
cruce atque áliis quæ passus  
est consummatis , nulloque  
demum restante quod vel  
impedíret , vel turbáret si-  
dem in ipsum à multis sus-  
ceptam , sincéra & immo-  
bilis circa ipsum opinio in-  
auditórum ánimes imprime-  
réatur. Certè , si ii qui signa  
viderant plúrima , & to-  
ineffabilium mysteriorum  
partícipes erant , vel solo  
auditu scandalizáti sunt , im-  
mó non ipsi soli , sed &  
Petrus ómnium coryphæs ;  
cogites velim quid paſſū  
erant plúrimi , si didicissent  
ipsum esse Filium Dei , &  
póstea vidissent eum cruci-  
figi , & sputis fœdari , cum  
mysteriorum hujusmodi ar-  
cana non nosserent , ne cum  
Spiritum sanctum accepis-  
sent. Et ut discas quantum  
intérerat plenam póstea

doctrinam accipere, summōtis iis quae offendiculo esse pōterant, id ab ipso coryphæo accipe. Ipse namque Petrus, qui post tot miracula adeo imbecillus appāruit, ut negāret, vilemque puellam timēret, postquam crucis peracto mysterio, resurrectiōnis claras habuit demonstratiōnes, cūm nihil illi ultrā offendiculo esset, nihil illum turbāret; sic immotam tenuit Spīritus doctrinā, ut vehementius quam leo in Judæorum populum irrue-ret, etsi pericula & mille mortes imminerent.

dique, \* & non erat qui adjuvāret.

Respiciens eram ad adjutorium hōminum, \* & non erat.

Memoratus sum misericordiæ tuæ, Dómine, \* & operationis tuæ quæ à século sunt:

Quóniam eruis sustinentes te, Dómine, \* & liberas eos de manib⁹ gentium.

#### A D H O R A S.

*Psalmi de Dominica.*

*CANON de Patrono.*

---

#### IN II. VESPERIS.

*Psalmi de Comm. Apostolorum.*

Post CAPIT. Alleluia, alleluia. ¶ Vivit Dóminus, quóniam revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea. Alleluia. Judith. 13.

---

#### D I E B U S

*INTRA OCTAVAM.*

*Omnia ut in Officio Patroni.*

#### IN DIE OCTAVA.

*Omnia ut in die, servato ritu Duplici-majori.*

#### IN II. NOCTURNO.

*LECTIONES ut in Officio Patroni.*

#### IN III. NOCTURNO.

*LECTIONES ut in die.*

A d L A U D E S.  
*Psalmi de Dominica.*

CANTICUM. *Eccli. 51.*

Liberasti me, Dómine, secundum multitūdinem misericordiæ nominis tui, \* à rugientibus præparatis ad escam,

De manib⁹ querentium animam meam, \* & de portis tribulatiōnum quæ circumdedérunt me.

A lingua coinquinata, & à verbo mendacii, \* à rege iniquo, & à lingua injusta.

Laudabit usque ad mortem anima mea Dóminum, \* & vita mea approxinquant erat in inferno deorsum.

Circumdedérunt me in-

DIE VI.  
IN FESTO  
TRANSFIGURATIONIS  
DOMINI.

*In Ecclesiis sub titulo Salvatoris dedicatis, hoc Festum est Annuale Majus Omnia ut in Breviario, additis que sequuntur. Nulla sit Commemoratio.*

**AD COMPLETORIUM.**

*Ant. 2. D. Fidélis sermo: si commortui sumus, & convivémus; si sustinébimus, & conregnábimus. 2. Tim. 2.*

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant. 6. F. Sumus Filii Dei & hærēdes; cohærēdes autem Christi, si tamen compátiaur, ut & congregrificémur. Rom. 8.*

**AD OFFICIUM NOCT.**

**I N I. NOCTURNO.**

*Pf. 2. Quare fremuérunt. 2.*

*Pf. 8. Dómine, Dóminus noster. 36.*

*Pf. 20. Dómine in virtute tua. 78.*

*LECTIO j.*

De Epistola secunda beati Petri Apóstoli. c. 1.

**F**ratres, magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocaciónem, & electiónem fa-

ciátis: hæc enim facientes, non peccábitis aliquando. Sic enim abundanter ministrábitur vobis intióitus in æternum regnum Dómini nostri, & Salvatóris Jesu Christi. Propter quod incípiam vos semper commonére de his, & qui-dem scientes & confirmátos vos in præsénti veritáte. Justum autem árbitror quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne; certus quòd velox est depositio tabernáculi mei, secundum quod & Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi.

*LECTIO ij.*

**D**abo autem óperam & frequenter habére vos post óbitum meum, ut horum memoriām faciátis. Non enim doctas fábulas secuti notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtutem & præséntiam: sed speculatōres facti illius magnitúdinis. Accipiens enim à Deo Patre honórem & glóriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi

modi à magnifica glória : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audire. Et hanc vocem nos audivimus de celo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

## LECTIO iii.

**E**T habémus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes quasi lucernæ luctenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lúcifer oriatur in cordibus vestris ; hoc primum intelligentes quod omnis prophetia scripturæ propriâ interpretatione non sit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spíritus sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

## IN II. NOCTURNO.

*Psf. 25.* Dómini est terra.  
51. *Psf. 28.* Afférte Dómino.

<sup>1:4.</sup> *Psf. 35.* Dixit injustus ut delinquat. 71.

## IN III. NOCTURNO.

*Psf. 44.* Eructavit cor meum. 135.

<sup>27.</sup> *Psf. 75.* Notus in Iudæa.

*Psf. Quàm dilecta.* 96.

## AD LAUDES ET HORAS,

*Psalmi de Dominica.*

APPENDICIS.

## AD PRIMAM.

## CANON.

Ex sancto Bernardo.

Serm. 33. de diversis.

**C**hristus Dóminus mons est, in quo omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi sunt. Venite, ascendamus in hunc montem, fratres : & si via nobis videtur ardua, exoneremus nos ; si arcta, etiam exinanire nos non parcamus ; si longa, tanto magis festinemus ; si laboriosa, clamemus ei : Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curtemus.

## AD VESPERAS.

*Psf. 109.* Dixit. 21.

*Psf. 111.* Beatus vir. 22.

*Psf. 112.* Laudáte pueri.

21.

*Psf. 121.* Lætatus sum. 74.

*Psf. 144.* Exaltabo te. cum suis divisionibus. 105.

## DIE VII.

## DE OCTAVA.

## LECTIO ij.

Sermo sancti Leonis Papæ.

*De Transfigurac cap. 3.*

**A**perit Dominus coram electis testibus gloriam suam, & communem illum cum ceteris corporis formam tanto splendore clarificat, ut & facies ejus solis fulgori similis, & vestitus candori nivium es-

F

ser æquális. In qua Transfiguracióne illud quidem principáliter agebátur, ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tolleré tur; nec conturbáret eórum fidem voluntariæ humilitas passiónis, quibus reveláta esset absconditæ excelléntia dignitatis. Sed non minore providéntiâ spes sanctæ Ecclésiæ fundabátur, ut totum corpus Christi agnosceret quali esset commutatióne donandum; ut ejus sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfussisset.

*LECT. iij. de Feso occur.*

D I E V I I I.  
D E O C T A V A.

*LECTIO ii.*

De Sermónे sancti Leónis Papæ. *Unde suprà.*

**C**onfirmandis Apóstolis, & ad omnem scientiam provehendis, ália quoque in illo miráculo accessit instrucción. Móyses enim & Elias, lex scilicet & Prophétæ, apparuerunt cum Dómino loquentes; ut verissimè in illa quinque virorum præséntia complerétur quod dictum est: In duóbus vel tribus testimoniis stat omne verbum.\* Quid hoc stabílius, quid firmius verbo, in cujus prædicatione yéteris & no-

vi Testamenti concinit tuba, & cum evangélica doctrína antiquárum protestatiónum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi invicem utriusque foderis páginæ; & quem sub velámine mysteriorum precedéntia signa promiserant, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit.

*LECTIO iii. De Feso occurrente vel dividitur ad asteriscum.*

D I E I X.  
D E O C T A V A.

*LECTIO ij.*

De Sermónē sancti Leónis Papæ. *Unde suprà.*

**H**Is ergo sacramentórum revelationibus Petrus Apostolus incitátus, munída spernens, & terréna fastidiens, in æternórum desidérium quodam mentis rapiebátur excessu; & gaudio totius visiónis implé-  
tus, ibi cum Jesu optábat habitare, ubi manifestata ejus gloriæ latétabáatur. Unde & ait: Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernacula, tibi unum, Móysi unum, & Eliae unum. Sed huic suggestiōni Dóminus non respondit significans non quidem improbum, sed inordinátum esse quod cùperet, cùm salváti mu-

dus, nisi Christi morte, non posset, & exemplo Dómini in hoc vocaréatur credéntium fides: ut licet non oportéret de beatitúdiniis promissiónibus dubitári, intelligérémus tamen inter tentatiónes hujus vitæ prius nobis tolerántiam postulandam esse quām glóriam.

*LECTIO iiiij. de Feſto occur.*

D I E X.  
*Commemoratio Octavae.*

D I E X I.  
DE OCTAVA.

*LECTIO ij.*

De Sermónē Venerabilis Bedæ Presbyteri. *Unde supra.*

**A**D nostram, Fratres caríssimi, consciéntiam revertámur, & si Dómini glóriam vidére delectat, transitis carnálibus desidériis, subeámus in montem virtútum. Si ad vestimenta Dómini candíssima pertinére vólumus, mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritus, perficientes sanctifi-cationem in timóre Dei. Si vocem Dei Patris audíre, si confubstantiális ejus Fílii majestátem desiderámus in-tuéri, studeámus solliciti-

pervérla & inutília mortá-lium verba declináre, stu-deámus a supervácuis séculi fallentis óculos avértere spectáculis, quátenus resur-rectionis nóstřæ gloriâ cor-ruscante, & ipsi quidem quæ modo nequimus, magnália nostri Condítóris vidére simul & dicere me-reámur.

*LECTIO iiij.*

Sermo S. Bernardi Abbátis.  
*Serm. de divers. 23.*

**Q**uandóquidem omnes ascéndere nítimur, omnes téndimus in subli-me, sursum adspiramus omnes, omnes conámur in altum: illuc studeámus ascéndere, ubi bonum sit nos esse, ubi secúrum sit nos esse, unde cädere non opórteat, ubi stare possimus. Nec modo ut de-sidérium pròvocet, ascen-sórem montis Dómini Pro-phéta requírit: verum étiam ut ascéndere cupientem, modum dóceat ascendendi. Felix, qui hujus montis ascensiōnes in corde suo dispósiuit, concupiscens &c deficiens in átria Dómini. Siquidem mons iste mons uber, bonórum ómnium cùmulus, mons voluptatis æternæ, domus Dei est. Et beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! in sécula seculórum laudá-bunt te.

D I E X I I .

D E O C T A V A .

L E C T I O i j .

Sermo S. Leónis Papæ.

U n d e s u p r à .

**A**Ssumpsit Iesús Petrum, & Jacóbum, & fratre Ejus Joannem, & consenserunt cum eis seorsum monte præcelso, claritatem illis suæ gloriæ demonstravit: quia licet intellexissent in eo majestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo Divinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Et ideo proprie signanterque promiserat quosdam de astantibus discipulis non prius gustare mortem, quam vidarent Filium hominis venientem in regno suo, id est, regia claritate, quam spiritualiter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris vouluit esse conspicuam. Nam illam ipsius Deitatis ineffabilem & inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde servatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intuéri poterant & videre.

L E C T I O i i j . de Sancta Clara.

V E S P E R A de die Oct. ut in I. Vesp. Festi, cum Commem. Sanctæ Radegundis, & Sanctæ Clari.

D I E X I I I .

Octava

TRANSFIGURATIONIS  
D O M I N I .

D U P L E X - M A J U S .

Omnia ut in die servato  
rito dupli-Majori.

I N I. N O C T U R N O .

L E C T I O N E S de Scriptura  
ocurrente.

I N I I. N O C T U R N O .

L E C T I O iv.

Sermo Venerabilis Bedæ  
Presbyteri.

De Transf. Dom.

**Q**uia Dominus ac Redemptor noster electos suos per hujus vitae labores, ad illam, quæ laborem nescit vitam futuræ beatitudinis introducere dispôsuit, modò per Evangelium suum sudores certaminum temporaliū, modò æternorum describit palmarum præmiorum: ut auditis videlicet agonum necessitatibus, meminerint sibi requiem in hac vita nequaque esse petendam: auditâ rursum dulcedine futuræ retributionis, levius ferant mala transiuntia, quæ bonis speraverint remuneranda perpetuis.

L E C T I O v.

**O**Stensurus gloriam suam discipulis, in montem eos dicit excelsum: ut doceat omnes qui hanc videre

desiderant, non in insimis jacere voluptatibus, non illécebris servire carnalibus, non cupiditatibus adharréscere terrénis, sed æternorum amore ad superna semper erigi. Transfiguratus antè discipulos Dóminus & sui cörperis glóriam, quā per resurrectionem erat illustrandus, significat; & electorum omnium quantæ claritatis post resurrectionem sint corpora futura manifestata.

*Lectio vij.*

**Q**UOD si beatus Petrus glorificatam Christi humanitatem contemplatus, tanto afficitur gáudio; quis sermo explicare, quis sensus valet comprehendere quanta sint gáudia justorum, cum accelerint ad Sion montem, & ad civitatem Dei viventis Jerusalém, & multorum millium Angelorum frequentiam, ipsumque civitatis ejusdem artificem & conditorem Deum, non per speculum & in ænigmate sicut nunc, sed facie ad faciem conspexerint?

**IN III. NOCTURNO.**

*Lectio vij.*

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum. c. 17.

**I**N illo tempore: Assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus; & dicit illos in montem excelsum seorsum; &

Transfiguratus est antè eos. Et reliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

*In cap. 17. Matth.*

**D**ominus Scribis & Phariseis tentantibus se, & de cœlo signa poscentibus, dare noluit, sed pravam postulationem confutavit responsione prudenti. Hic vero ut Apostolorum augeat fidem, dat signum de cœlo: Eliá indè descendente quod concéderat, & Móyse ab inferis resurgentem: quod & Achaz per Isaiam præcipitur, ut petat sibi signum de exelso, aut de inferno. Nam quod dictum est: Apparuerunt illis Móyses & Elias cum eo loquentes; & in alio refertur Evangélion, nuntiasse ei quæ Jerosólymis passurus esset, lex ostenditur & Prophétæ, qui & passionem Dómini, & resurrectionem crebris vociibus nuntiáront.

*Lectio viii.*

**V**ox de cœlo Patris loquentis auditur, quæ testimoniūm perhibeat Filiō: Hic est, ait, Filius meus dilectus. Et audientes discipuli, cecidérunt in faciem suam: quia humana fragilitas conspectum majoris gloriae ferre non sustinet; ac toto animo & corpore contremiscens, ad terram cadit. Quantò quis ampliora quæserit, tanto

magis ad inferiòra collabatur, si ignoráverit mensuram suam. Levantes autem oculos suos, némine vi-dérunt, nisi solum Iesum. Ne si Móyses & Elías per-severascent cum Dómino, Patris vox viderétur incer-ta, cui potissimum daret testimónium. Vident ergo Iesum stantem ablátâ nu-be, & Móysen & Eliam evanuisse: quia postquam Legis & Prophetarum umbra discéderit, que velamen-to suo Apóstolos téxerat, utrumque lumen in Evangéllo reperitur.

LECTIO ix. de Santa RADIGUNDAE, duabus in unam junétis.

## D I E X.

*Si Festum S. Laurentii celebretur ritu Annuali aut Solemni-Majori, omnia ut in Propri. SS. & in Comm. unius Martyris, servatis quæ suprà notata sunt pro Patronis.*

*Si habeat Octavam, non sit de ea nisi Commemoratio in Vigilia Assumptio-nis.*

## DIE XXV. AUGUSTI.

## IN FESTO

## SANCTI LUDOVICI.

*Si Festum S. Ludovici celebretur ritu Annuali aut Solemni-Majori, omnia ut in Brev. exceptis quæ seq.*

## IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant. & Capit. de Laudibus. R. i. ex Offic. Noct. cum Glória.*

*HYMNUS, Rex summe regum, ut in Breviario, ad Offic. Noct.*

*V. Invéni servum meum: R. Oleo sancto meo unxi eum. Ps. 88.*

*Ad Magnificat.*

*Ant 6. F. Duplicanda. Quæsivit Dóminus sibi vi-rum juxta cor suum, & præcepit ei ut esset dux su-per populum suum. 1. Reg. 13.*

*Coll. ut in Breviario. Fit Comm. S. BARTHOLOMÆI.*

## AD COMPLETORIUM.

*Psalmi & Capit. de Fe-ria. Ant de Communi Ius-terum.*

## IN I. NOCTURNO.

*Psf.* 1. Beatus vir qui non. 2.

*Psf.* 2. Quare tremuerunt. 2.

*Psf.* 5. Verba mea. 72.

*LECTIO i.*

De Epistola beati Pauli Apóstoli ad Romáanos.

*Cap. 13.*

**O**MNIS ÁNIMA POTES TÁBIBUS SUBLIMIORIBUS SUBDITA SIT. NON EST ENIM POTES TAS NISI A DEO: QUAE AUTEM SUNT, A DEO ORDINATÆ SUNT. ITAQUE QUI RESISTIT POTES TÁTI, DEI ORDINATIONI RESISTIT. QUI AUTEM RESISTUNT, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQUÍRUNT: NAM PRÍNCIPES NON SUNT TIMÓRI BONI OPERIS, SED MALI. VIS AUTEM NON TIMÉRE POTES TAM? BONUM FAC; & HABEBIS LAUDEM EXILLA: DEI ENIM MINISTER EST TIBI IN BONUM. SI AUTEM MALUM FÉCERIS, TIME: NON ENIM SINE CAUSA GLÁDIUM PORTAS: DEI ENIM MINISTER EST, VINDEX IN IRAM EI QUI MALUM AGIT.

*LECTIO ii.*

**I**DEO NECESSITATE SUBDITI ESTÓTE, NON SOLÙM PROP TER IRAM, SED ETIAM PROP TER CONSCIÉNTIAM. IDEO ENIM & TRIBÚTA PRÆSTÁTIS: MINISTRI ENIM DEI SUNT, IN HOC IPSUM SERVIENTES. RÉDITE ERGO ÓMNIBUS DÉBITUM: CUI TRIBÚTUM, TRIBÚTUM; CUI VECTIGAL, VECTIGAL; CUI TIMÓREM, TIMÓ-

REM; CUI HONÓREM, HONÓREM. NÉMINI QUIDQUAM DEBÉATIS, NISI UT INVICEM DILIGÁTIS: QUI ENIM DILIGIT PRÓXIMUM, LEGEM IMPLÉVIT.

*LECTIO iii. cap. 2.*

De Epistola prima beati Petri Apóstoli.

**S**UBJECTI ÍGITUR ESTÓTE OMNI HUMÁNÆ CREATURÆ PROPTER DEUM; SIVE REGI, QUASI PRÆCELLENTI; SIVE DUCIBUS, TANQUAM AB EO MIS- SIS AD VINDICTAM MALEFACTÓRUM, LAUDEM VERÒ BONÓRUM: QUIA SIC EST VOLUNTAS DEI; UT BENÈ FACIENTES OB- MATÉSCERÉ FACIÁTIS IMPRU- DÉNTIUM HÓMINUM IGNORÁNTIAM: QUASI LIBERI, & NON QUASI VELÁMEN HABENTES MALITIÆ LIBERTÁREM, SED Sicut servi Dei. OMNES HONORÁTE; FRATERNITÁTEM DILI- GITE; DEUM TIMÉTE; REGEM HONORIFICÁTE.

## IN II. NOCTURNO.

*Psf.* Dómine, quis habi- tabit. 47. Exaudiat. 86. Dó- mine, in virtute tua. 78.

## IN III. NOCTURNO.

*Psf.* Dóminus illuminatio mea. integer. 95. Deus iudicium. integer. 48. Misericordiam. 19.

AD LAUDES, *Psf. de Do- minic. cum Cantico*, Be- nedictus es, Dómine. in Laud. Feria V. pro Festis, 93.

AD HORAS, *Psalmi de Dominica.*

AD PRIMAM, Canon ut  
in Officio Patroni.

AD VESPERAS, Psalmi  
Dixit. 21. Beatus vir. 22.  
Laudate Dominaum, om-  
nes gentes. 132. Confité-  
bor.... quóniam. 100. Be-  
nédictus. integer. 141.

D I E B U S  
I N T R A O C T A V A M .  
*Omnia ut in die servato  
ritu Octavarum. Psalmi  
de Feria.*

D I E X X V I .  
D E O C T A V A .

*LECTIO ij.*

Sermo sancti Augustini  
Episcopi.

*Enar. 3. in Ps. 32.*

Jam cessaverunt reges ma-  
li, facti sunt boni, cre-  
diderunt, & ipsi signum  
Crucis Christi in fronte  
jam portant, pretiosius si-  
gnum quam quilibet gem-  
ma diadématis. Illi qui sæ-  
viérunt, destruxerunt. Sed  
quis fecit hoc? fortè tu,  
ut extollas te? Dominus  
dissipat consilia géntium,  
réprobat autem cogitatio-  
nes populórum, réprobat  
consilia principum. Quan-  
do dixerunt, Tollamus eos  
de terra, non erit nomen  
christiánum si hoc fecéri-  
mus, si occidantur, si tor-  
queántur, tália & tália illis  
inflicantur; dicta sunt  
hæc, & inter hæc crevit  
Ecclésia.

*LECTIO iii.*

Sermo sancti Ambrósii  
Episcopi.

*Oratio de Octetu Theodosii*  
*n. 12.*

**L**OCTA est scriptura di-  
cens: Magnum & ho-  
norabile est homo misé-  
ricors: invenire autem vi-  
rum fidélem difficile est. Si  
magnum est misericordem  
aut fidélem quemcumque  
hominem invenire; quanto  
magis Imperatórem, quem  
potestas ad ulciscéndum im-  
pélit, sed revocat ab ul-  
tione miseratio! Quid præ-  
tantius fide Imperatóris  
quem non extollat poté-  
ntia, supérbia non érigat,  
sed pietas inclinet? de quo  
præclarè Salomon ait: In-  
qui regis minitatio similis  
rugitiui leonis; sicut autem  
ros in herba, sic & hilari-  
tas ejus. Quantum igitur  
est depónere terrórem po-  
tentiae, præférre suavitá-  
tem gratiæ!

D I E X X I X .

D E O C T A V A .

*LECTIO ij.*

Sermo sancti Augustini  
Episcopi.

*Enar. in Psal. secundum.*  
**E**T nunc, reges, intelligite. Jam innovati, jam  
contritis carnálibus vasis  
erróris, quæ ad præteritam  
vitam pertainent, nunc in-  
telligite jam reges, id est,  
jam valentes régere quid.

quid in vobis servile est: erudimini qui judicatis terram, servite Dómino in timore & exultate ei cum tremore..... Id enim vobis expedit ut sub illo sitis à quo intellectus & eruditio vobis datur.... Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dóminus & pereatis de via iusta. Hæc magna pena est quæ ab iis formidatur qui aliquid dulcedinis justitiae percepérunt. Qui enim perit de via iustitiae, cum magna miseria per vias iniquitatis errabit.

LECTIO iiiij.

Ex ejusdem Epistola ad Bonifacium Cömitem.

Ep. 185. al. 50.

Q UÓMODÓ Reges Dómini no sérviunt in timore, nisi ea quæ contrà iussa Dómini fiunt religiosâ severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fidéliter: quia verò etiam rex est, servit, leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, convenienti rigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias, lucos & templo idolorum & illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerant constructa detruendo. In hoc ergo sérviunt Dómino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum

illi quæ non possunt facere nisi reges.

---

D I E XXXI.

D E O C T A V A.

LECTIO ij.

Sermo sancti Augustini  
Episcopi.

In Ps. 103. Concion. 3. post  
medium.

C Edri Libani, nobiles & divites & excelsi hujus seculi, quóniam cum timore audiunt, Beatus qui intelligit super egénum & páuperem; attendunt res suas, villas suas & omnes supérfluas còpias quibus videntur excelsi, & præbent illas servis Dei; dant agros, dant hortos, ædificant Ecclesiás, monastériá, colligunt pásseres ut in cedris Libani nidifcent pásseres. Præbent ista, faciunt hæc cedri Libani quas plantavit Dóminus; faciunt & libenter faciunt; novérunt quid faciant, novérunt quid accipiunt.

LECTIO iiij. In Ps. 137.

C Onfiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; sed & ipse cùm tibi confitentur, cùm laudant te, non terréna desiderant à te. Quid enim reges terræ desideratúri sunt? Nonne jam habent ipsum impérium? Quidquid amplius desideraverit homo in terra, usque ad impérium est desiderium ejus. Quid amplius potest?

Altior sublimitas necessaria est. Sed fortasse quanto alior, tanto periculosior. Id eoque reges quanto sunt in maiore sublimitate terrena, tanto magis Deo humiliari debent.... Non ergo sint reges terrae superbi, sed humiles sint. Ambulent ergo & reges terra in viis tuis, ambulent & cantent in viis tuis. Quid cantent? Quoniam magna est gloria Domini, non regum.

## DIE I. SEPTEMBRIS.

OCTAVA  
SANCTI LUDOVICI.

*Omnia ut in Die, exceptis  
qua sequuntur.*

*Psalmi de Feria.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectio de Script occur.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio iv.*

Sermo sancti Ambrorsii

Episcopi.

*Orat. de obitu Theodosii.*

**G**ratulatur Ecclesia, erubescit Judaeus: nec solum erubescit, sed etiam torquetur; quod ipse sibi author confusionis est. Dum insultat Christo, confessus est eum regem: dum regem Judaeorum appellavit, sacrilegium suum, qui non credidit, confitetur. Ecce, inquiunt, crucifiximus Iesum; ut Christiani, & post mortem resurgent, & mortui regnent. Ecce & clavus in honore est; & quem ad mortem pressimus, reme-

dium salutis est, atque invisibili quadam potestate dæmones torquet.

*Lectio v.*

**P**Utabamus nos vicisse, sed victos fatemur. Iterum Christus resurrexit, & resurrexisse eum principes agnovérunt. Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pécudum vagâ fese libidine polluébant. Ignorabant Deum, restrinxit eos crux Domini, & revocavit a lapsu impietatis. Levavit oculos eorum ut Christum in cœlum quererent.

*Lectio vi.*

**E**xuerunt se chamo per fidiae, suscepérunt fræna devotionis & fideli, scuti dicéntem: Tollite jugum meum super vos.... Jugum enim meum suave est & onus meum leve. Non ergo mentita est prophétia dicens: Ambulabunt reges in lumine tuo. Ambulabunt planè, non jam armis militum, sed méritis suis teciti; non purpureum habitum, sed amictum indui gloriæ.

IN III. NOCTURNO.

*Lectio viij. Cap. 21.  
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.*

**I**N illo tempore; Dixit Iesus Discipulis suis. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos beneficia vocantur. Vos autem non

sic : sed qui major est in vobis , sicut minor , & qui præcœlior est , sicut ministrator . Et reliqua .

## LECTIO viij.

Homilia sancti Fulgentii Episcopi .

*De veritate Præd. & Gratia*  
l. 2. c. 22.

Clementissimus Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam , quia apicem terræ principatus accépit ; sed si in imperiali culmine rectâ fide vivat , & verâ cordis humilitate præditus , culmen regis dignitatis sanctæ religioni subjiciat . Si magis in timore serviat Deo , quam in timore dominari populo delectetur . Si in eo lenitas iracundiam mítiget , ornet benignitas potestatem . Si se magis diligendum , quam metuendum cunctis exhibeat : si subjéctis salubriter cónsulat . Si justitiam sic téneat , ut misericordiam non relinquit : si præ omnibus se sanctæ matris Ecclesiæ Catholice meminerit filium , ut ejus paci atque tranquilitati , per universum mundum prodésse faciat suum principatum .

## LECTIO viiij.

Non ergo per quālibet séculi aut Ecclesiæ dignitatem , sed per fidem quæ

per dilectionem operatur , unusquisque vas in honorem dono Dei miserantibus efficitur . Non enim Salvator noster beatos voluit nuncupari habentes secularem aut ecclesiasticam dignitatem ; sed pauperes spiritu , mites , lugentes , esuriéntes , fitientesque justitiam , misericordes , mundo corde , pacificos , & qui persecutionem propter justitiam patiuntur . Nec Abraham patrem nostrum temporales honores vel divitias ad Dei amicitiam perduxerunt : sed quia credidit Deo , reputatum est ei ad justitiam , & amicos Dei appellárus est . Nec pauperem Lazarum ærumnâ paupertatis & famis afflictum , ab æternâ requie inopia atque ignobilis temporalis exclusit . Deus enim pauperes elegit in hoc mundo divites in fide , & hæredes regni quod promisit diligenteribus se . Ipsa fide divites sunt omnes , qui scientes quia præterit figura hujus mundi , mortui peccato , viventes autem Deo , non in dignitate temporali , sed in cruce Domini nostri Jesu Christi cum Apóstolo gloriantur .

Lect. ix. de sancto Ægidio , cum Commem. de eo , in Laud. & Vesp.



DIE XIV. SEPTEMBRIS.  
IN FESTO  
EXALTATIONIS  
SANTÆ CRUCIS.

*Si Festum Exaltationis S. Crucis celebretur ritu Annuali aut Solemni majori, omnia ut in Breviario, exceptis quæ sequuntur.*

AD VESPERAS.  
*Psalmi. Dixit. p. 21.  
Confitebor. 22. Sæpe expugnaverunt. 139. Eripe me. integer. 120. Voce mea. 63.*

**AD OFFICIUM NOCT.**

**IN I. NOCTURNO.**

*Psalmi. Beatus vir. p. 2.  
Quare fremuerunt. 2. Dómine, quid multiplicáti sunt.*

3.

*LECTIONES de Epistola ad Ephesios, ut in Breviario, p. 334.*

**IN II. NOCTURNO.**

*Psalmi. Dómine, Dóminus noster. 26. In Dómino confido. 84. Deus Deus meus, respice. integer. 117.*

**IN III. NOCTURNO.**

*Psalmi. Exaudi, Deus, orationem meam cum déprecor. p. 126. Cantate Dómino cáanticum.... Cantate. 39. Cantate Dómino... quia. 40.*

**AD LAUDES ET HORAS**  
*Psalmi de Dominica.*

**AD PRIMAM.**

*Canon ut in Inventione Sanctæ Crucis, die iij. Maii.*

**DIEBUS**  
**INTRA OCTAVAM.**

*(Si habeat.)*

*De Feste Duplici-minori fiet Officium cum commem. Octavæ in utrisque Vesperis & Laudibus: de semi-duplici autem vel simplici fiet tantum commemoratio ritu in Octavis ordinario.*

*Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.*

*Psalmi Feriales.*

**AD OFFICIUM NOCT.**

*Lectione j. de Scriptura occurrente, ex tribus una. Lectione ij. erit una ex iis quæ assignantur pro Octava Inventionis S. Crucis. iiiij. de Feste occurrente aut Feria IV. Temporum. Si autem nullum occurrat Festum, ex una Lectione fient dua.*

**AD LAUDES MATUTINAS,**  
*Ant. sola quarta de Laudibus diei.*

AD PRIMAM, CANON de  
Feria occurrente, nisi sit  
Feria Quatuor Temp.

AD VESPERAS, Ant sola  
prima de Vesperis diei.

## D I E X X I .

*Festum sancti Matthaei  
transfertur in primam diem  
non impeditam.*

O C T A V A  
EXALTAT. S. CRUCIS.  
*Omnia ut in die præter  
sequentia.*

*Psalmi de Feria.*

AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura  
occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

*LECTIO iv.*

Sermo sancti Augustini  
Episcopi.

*In Joann. Evang. Tract. 36.  
§. 4.*

C Reátor hominis homo  
esse dignátus est: factus  
est quod fecerat, ne periret quem fecerat. Quid huic misericordiæ addi potest? Et tamen addidit. Parum fuit ei hominem fieri, sed etiam ab homínibus reprobari: parum erat reprobári, & exhonoriári: parum erat exhonoriári, & occidi: sed & hoc parum est; morte crucis. Nam & cùm ejus obediéntia n usque ad mor-  
tem factam commendáret

Apóstolus, parum illi fuit dicere: Factus obédiens usque ad mortem; non enim qualecumque mortem, sed addidit, Mortem autem crucis. Illà morte pejus nihil fuit inter ómnia génera mórtium.

*LECTIO v.*

M Oti voluit pro nobis-  
parum dicimus, crucifi-  
cigi dignátus est, usque  
ad mortem crucis obédiens  
factus. Elégit extrémum &  
péssimum genus mortis, qui  
omnem fuerat ablatírus  
mortem: de morte péssima  
occidit omnem mortem.  
Péssima enim erat non in-  
telligéntibus Judæis; nam  
à Dómino electa erat.

*LECTIO vi.*

I Psam enim crucem suam  
signum habiturus erat,  
ipsam crucem de diábolo  
superato tanquam trophæū  
in frónibus fidélium positi-  
turus, ut diceret Apóstolus:  
Mihi autem absit gloriári,  
nisi in cruce Dómini  
nostrí Jesu Christi, per  
quem mihi mundus cruci-  
fixus est, & ego mundo.  
Nihil erat tunc in carne in-  
tolerabilius, nihil est nunc  
in fronte gloriósus. Quid seruat fidéli suo, qui tales  
honórem dedit supplicio suo?

IN III. NOCTURNO.  
*Lectiones ut in die.*

DIE XXIX. SEPTEMBRIS.  
IN FESTO  
SANCTI MICHAELIS,  
ARCHANGELI.

*Ubi Festum S. Michaelis est Annuale, omnia ut in Breviario, exceptis quæ sequuntur, & servato ritu prescripto in Festo Patroni.*

IN I. NOCTURNO.

*Psalmi. Dómine Dóminus noster. 36. Dixit injus-  
tus. 71. Quid gloriáris. 104.*

LECTIO i.

*De libro Exodi. cap. 23.*

**L**ocutus est Dóminus ad Móysen, dicens: Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem parávi. Observa eum, & audi vocem ejus: nec contemnendum putes; quia non dimittere cùm peccáveris, & est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem ejus, & feceris ómnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam afflgentes te; præcedetque te Angelus meus, & introducat te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pheresæum, Chana-næumpue, & Hevæum, &

Jebusæum, quos ego cónteram.

LECTIO ii.

*De libro Jósue. cap. 5.*

**C**um esset Jósue in agro urbis Jéricho, levavit oculos, & vidit virum stantem contrà se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam; sed sum princeps exércitus Dómini, & nunc vénio. Cécidit Jósue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dóminus meus lóquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de péibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Jósue ut sibi fuerat imperátum.

LECTIO iii.

*De Libro secundo Machabæorum. cap. 11.*

**U**t Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu & lacrymis roga-

bant Dóminum, & omnis  
tutba simul, ut bonum An-  
gelum mitteret ad salutem  
Israel. Et ipse primus Ma-  
chabæus, sumptis armis,  
céteros adhortatus est simul  
secum periculum subire, &  
ferre auxilium fratribus suis.  
Cùmque páriter prompto  
ánimō procéderent, Jero-  
sólymis appáruit præcedens  
eos eques in veste cándida,  
armis áureis hastam vi-  
brans. Tunc omnes simul  
benedixérunt misericordem  
Dóminum, & convaluerunt  
ánimis.

## IN II. NOCTURNO.

*Psalmi*, Si verè útique.  
115. Deus, quis símilis erit  
tibi? *integer*. 137. Bonum  
est confitéri. 32.

## IN III. NOCTURNO.

*Psalmi*, Dóminus regná-  
vit, exultet. 52. Dóminus  
regnávit, irascantur. 40.  
Bénedic, áima mea, Dó-  
mino; & ómnia. *integer*.  
70.

## AD II. VESPERAS.

*Psalmi*, Dixit Dóminus.  
21. Beátus vir. 22. Laudáte,  
púeri, 22. Levávi oculos  
meos. 45. Confitébor....  
quóniam. 100.

## D I E   X X X .

*Fit Commem. Octavae.*

## D I E   I .

*Fit Commem. Octavae.*

## D I E   I I .

*Non fit Commemoratio  
Octavae.*

## D I E   I I I .

## D E   O C T A V A .

*LECTIO ij. Unde suprà.*

Ex libro morálium sancti  
Gregórii Papæ.

**A**B eódem Angelo qui  
Daniéli loquebátur, paulò póst dicitur: Nemo  
est adjutor meus in ómnibus his, nisi Míchaél pri-  
ceps vester. De quo & hoc,  
quod præmíssimus, dicit: Et ecce Míchaél unus de  
principib[us] primis venit in  
adjútórium mihi. Qui dūm  
nequáquam simul esse, sed  
venire in adjútórium díci-  
tur, apertè ei pópulo præ-  
látus agnoscitur, qui cap-  
tivus in ália parte tenebá-  
tur. Quid est ergo Ange-  
lum dicere: Ego veni prop-  
ter sermones tuos; prin-  
ceps autem regni Persarum  
réstitit mihi: nisi sua sub-  
ditis ópera nuntiare? Ac si  
apertè dicat: Precum qui-  
dém tuárum mérita exigunt,  
ut Israéliticus pópulus a ju-

D I E B U S  
I N T R A   O C T A V A M .

*Servatur ritus præscrip-  
tus in Officio Patroni.*

go suæ captivitatis exuatur, sed est adhuc quod in eodem populo, Persarum dominio purgari debet: unde erectionem illius, Persarum princeps mihi jure contradicat, quamvis preces tuas eorum quoque lacrymæ qui in Iudea relicti sunt, adjuvent. Unde hoc quoque quod dixinus subiungit: Michaël princeps vester venit in adjutorium mihi.

*Lectio iiiij. de Festo occurrente.*

---

D I E I V.

D E O C T A V A.

*Lectio ij. Unde suprà.*

Ex Libro Morálium sancti Gregorii Papæ.

**M**ichaël adjuvat, sed princeps Græcorum ad prælium venit: quia mereri quidem veniam tam longa oppressorum captivitas poterat, sed erectionis eorum beneficio hoc quoque quod in Græcos deliquerant, obviabat. Recte ergo dicitur quod contrà se Angeli véniant; quia subjectarum sibi gentium vicesim mérita contradicunt. Nam sublimes sp̄ritus eisdem gentibus principantes nequaque pro injusta agentibus decertant, sed eorum facta justè judicantes exáminant. Cumque uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernæ curiæ consilium ducitur,

ejusdem gentis præpositus, vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse prohibetur. Quorum tamen omnium una victoria est sui super se opificis voluntas summa; quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt.

*Lectio iiiij. de S. FRANCISCO; duabus in unam junctis.*

---

D I E V.

D E O C T A V A.

*Lectio ij.*

Ex Libro Morálium sancti Gregorii Papæ.

*Lib. 34. cap. 7.*

**H**oc loco quo dicitur, cum sublatus fuerit, timébunt Angeli; nil obstat intelligi, quia sub futuri temporis modo præterita describuntur. Nec recte intelligentiæ sensum relinquitur, si credamus diabolo ab arce beatitudinis cadente, in ruina ejus etiam electos Angelos expavisse, ut cum istum ex illorum numero superbiæ lapsus ejiceret, illos ad robustius standum timor ipse solidaret. Unde & sequitur: Et territi purgabuntur. Purgati vero sunt; quia nimirum isto cum reprobis legionibus exeunte, soli in cœlestibus sedibus qui beatè in æternum viverent, remanserunt. Hujus iraque lapsus eos terruit & purgavit: ter-

ruit, ne Conditorem suū superbē despicerent; purgavit verò, quia exēuntibus réprobis, actum est ut electi soli remanerent. Et quia cunctórum ópifex Deus scit ad bonórum custódiam etiam benè uti malá actiōne reprobórum, lapsus eadéntium vertit in profectum manéntium; & undē punita est culpa superbién-  
tium, indē humilibus Angelis, & inventa & solidata sunt augmenta meritórum. Iстis namque cadéntibus, illis in munere datum est, ut cádere omnínō non possent.

*Lectio iiiij. de Feste occurrente.*

DIE VI.  
OCTAVA  
SANCTI MICHAELIS,  
ARCHANGELI.  
DUPLEX-MAJUS.

*Omnia ut in die, servato ritu duplici majori, & exceptis que sequuntur. Ps. de Feria in toto Officio.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectio de scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio iv.*

Sermo sancti Brunónis Astensis Episcopi.

*De S. Michaële Archang.*

Factum est prælrium magnum in cœlo. Magnum prælrium, in quo Mí-

chaël princeps Archangelorum pugnat cum diabolo, principe dæmoniorum. Hoc prælrium quotidie fit in Ecclésia, quóniam Ecclésia cœlum vocatur. De Ecclésia igitur hoc intelligatur, quamvis si etiam de illo alio cœlo hoc intelligatur, non omnino inconveniens esse videtur. Manifestum est enim quod indē quoque propter supérbiā suā draco projectus est. De quo & Prophéta ait: Quomodo cecidisti de cœlo, Lúcifer? qui manè oriebáris; qui dicébas in corde tuo: In cœlum ascendam; super astra cœli ponam sólum meum; sedébo in monte testamenti, in latribus Aquilónis, & ero similis Altissimo. Constat igitur quod indē cecidit, sive Angelorum virtute & potentiā, sive solā Dei voluntate eum ad inferiora præcipitante. Multa enim Angelorum ministerio operatus est Deus, quae, si voluisset, solo nutu facere potuisset.

*Lectio v.*

Inter Angelos, qui ad hujus mundi regimina & custódiam nobis à Deo misi sunt, beatus Michaël obtinet principátum; qui non solum Angelus vel Archangelus, verum etiam Angelorum & Archangelorum princeps vocatur. Multos enim Angelos & Archangulos habet ipse sub se, &

per regna, & provincias, & per civitates ordinatos. Vide ergo quantas gratias beato Michaeli Archangelo debeamus, a quo Angelos accipimus nobis ministros ad custodiā ordinatos. De quo & Danieli quidam Angelus ait: Nunc annuntio tibi quod expressum est in Scriptura veritatis; & nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael Archangelus princeps vester. Iste igitur cum Angelis suis non cessat die noctuque preliari contra draconem illum qui est diabolus & satanas; qui quoniam in coelo, id est, in sanctis hominibus habitare non potest, in terram projectus est, - per quam peccatores significantur.

## LECTIO vij.

**C**onsidera modò qualis est iste, quam fortis, & quam potens, cum quo beatus Michael Archangelus preliatur. Sed quia Michael, Quis sicut Deus? interpretatur, ipse suo nomine nos ad praelium confortat, & ne illum timere debeamus, hortatur; qui quoniam Deo similis esse voluit, præcipitatus est. Adhuc tamen non quiescit, qui suâ superbiâ talis factus est, ut timere nesciat; & nisi potestates quæ super celos sunt, & quæ de cœlestibus veniunt, ejus superbiæ & fortitudini resis-

terent, nulla super terram potestas est quæ ei resistere potuisset. Quis draconis hujus levitiam & fortitudinem evadere potuisset, nisi suorum nos Dominus Angelorum custodiâ munivisset? Ecce totum præsum factum est: & draco iste magnus superatus est, & simul cum omni exercitu suo in tenebras præcipitatus est.

## IN III. NOCTURNO.

## LECTIO vij.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 18.

**I**n illo tempore; Accesserunt discípuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, maior est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

In Fest. S. Mich. Serm. 2.  
n. 1.

**A**uditis, fratres, Evangelicam lectionem adversus eos qui puillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntians, quoniam vae homini illi per quem scandalum venit. Perire siquidem necesse est hominem, qui caritatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat. Et hoc dixerim, ut in ea caritate, & unanimitate, & pace in qua statis

in Dómino, solliciti sitis perseverare & abundare magis. Quæ est enim spes nostra, & gáudium nostrum, & coróna gloriæ? Nonnè unitas & unanimitas vestra, in qua gáudeo vos inveniri fraternitatis amatores, & antè ómnia mítuam in vobis metíspis caritatem habentes, quod est vínculum perfectionis? Propter quod obsecro vos, sic state in Dómino, carissimi. In hoc enim cognoscunt omnes, etiam Angeli sancti, quod Christi estis discípuli, si dilectionem habueritis ad invicem.

## LECTIO viii. n. 2.

**N**umquid enim Christi gratiâ diligémur ab Angelis, si de mítuæ dilectionis inópia cognóverint nequáquam ejus nos esse discípulos? Numquid diligémur ab eis propter nos ipsos, id est, spirituális naturæ similitudine, si invenimur non diligere humánæ naturæ nostræ confortes; imò verò, si ex eis qui inter nos sunt contentiōibus, carnáles nos magis quam spirituáles esse constiterit? Dénique, numquid Angeli diligent nos propter seipso, & futuram de nobis civitatis suæ restaura-

tiónem, si (quod absit) unum quo solo uníri & co-adjicari eis possumus, defuerit glutinum caritatis? Quomodo sperábunt redificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si viderint, nos non lápidés esse vivos qui possint invicem cohærere; sed magis púlverem, quem projiciat ventus à facie terræ, quem unius verbi fatus in turbinem excitet, & suspicioneis cujuslibet levissima aura disperget?

## LECTIO ix. de S. BRUNONE.

## DIE II. OCTOBRIS.


*Si alicubi fiat Officium solemne de sanctis Angelis custodibus, omnia ut in Breviario: & quæ desunt, sumuntur ex Officio S. Michaelis, ut suprà.*

---

## DIE XI. NOVEMBRIS.

In Feste  
SANCTI MARTINI,  
Turonensis Episcopi.

*Ubi fit ritu Annual. omnia ut in Breviario, servato ritu prescripto pro Officio Patroni. Quæ desunt, sumuntur de Communi Pontificum, infrà.*



DIE XXVII. DECEMBRIS.

IN FESTO  
SANCTI JOANNIS,  
APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

*Pridie ad Vesperas, Atiph. & Psalmi, ut in ij. Vesp. Nat. Domini; & loco Capituli, &c. de S. Stephano. dicuntur sequentia de S. Joanne.*

CAPITULUM. *Iij. 45.*

**H**Æc dicit Dóminus: Dabo tibi thesáuros absconditos, & arcána secretorum; ut scias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuum, Deus Israël.

**R.** Eruditus es in juventute tua, & \* Impléatus es quasi flumen sapiéntiæ, &

**T.** Dilectus es in pace tua.

**V.** Enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ quam assecutus es, \* Impléatus es.

Glória Patri. **T.** Dilectus es.

**R.** Eruditus es. usque ad **V.** Eccli. 47. 1.

**T.** Tim. 4.

**Hymnus.** Tu quem præ reliquis. *ut in Breviario, ad Offic. Noct.*

**V.** Ecce tu, Dómine, veritátem dilexisti: **R.** Incerta & occulta sapiéntiæ

tuæ manifestasti mihi. *Pf. 50.*

*Ad Magnificat.*

*Ant. 7. d. duplicanda. Honorabilis factus es in oculis meis, & gloriösus: ego diléxi te, noli timere.*

*Iij. 43.*

*COLLECTA ut ad Laudes.*

*Fit Commem. de S. STEPHANO, & postea de Nat. Domini.*

*AD COMPLETOR. Pf. & Capit. de Feria: reliqua ut infra post ij. Vesp.*

AD OFFICIUM Noct.

*Omnia ut in Breviario, servato ritu Annuali in Riz. & exceptis sequentibus.*

*Psalmi ut in Communione Apostolorum.*

*AD LAUDES & HORAS, Pf. de Dominica.*

IN II. VESPERIS.

*Ut in Breviario; sed post Capitulum, additur:*

*Alleluia, alleluia. V. In fide sua probátus est Pro-*

pheta, & cognitus est in verbis suis fidelis; quia videt Deum lucis. Alleluia. Eccli. 46.

Commemorations ut in Breviario.

AD COMPLETORIUM.

Pss. & Cap. de Dominica.

Ant. 4. E. Sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudit te. Deut. 8.

Hymnus, MUNDI salus. ut in Nat. Domini.

Ad Nunc dimittis.

Ant. 6. C. Scientia, intelligentia, & sapientia ampliores inventae sunt in te. Dan. 5.

### DIE III. JANUARII.

Octava

SANCTI JOANNIS,  
Apostoli & Evangelistæ.

Omnia ut in die, dempto ritu Solemni, & exceptis que sequuntur. Psalmi de Feria in toto Officio.

### IN I. VESPERIS.

Antiphon. de Laudibus Festi.

Capitulum, &c. ut suprà in i. Vesp. Festi. Fiunt Commem. ut in Breviario.

AD COMPLETOR. Ant. de die, Hymnus MUNDI salus.

### IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. ex hac die 3. factâ divisione ad asteriscum [\*] secunda.

### IN II. NOCTURNO.

#### LECTIO iv.

Ex libro sancti Augustini Episcopi de consensu Evangelistarum. l. 1. c. 4.

**T**Res primi Evangelistarum in his rebus maximè diversati sunt, quas Christus per humanam carnem corporaliter gessit. Porro autem Joannes ipsam maximè divinitatem Domini, quâ Patri est æqualis, intendit; eamque præcipue suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longè à tribus istis superioris fertur: ita ut hos vides quodammodo in terra cum Christo homine conversari; illum autem transcendisse nébulam quâ tegitur omnis terra; & pervenisse ad liquidum cælum, unde acie mentis acutissimam atque firmissimam videtur in principio Verbum Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia; tanquam qui de pectore ipsius Domini, super quod discumbere in ejus convivio solitus erat, secratum divinitatis ejus uberioris & quodammodo familiarius biberit.

#### LECTIO v.

Ex Tractatu ejusdem sancti Augustini in Joanne.

Tract. 36.

**I**N quatuor Evangeliorum, vel potius quatuor libris unius Evangelii, sanctus

Joannes Apóstolus, non im  
mérítò secundùm intelligéntiam spiritálem áquilæ  
comparátus, altius multó-  
que subluniis áliis tribus  
eréxit prædicatiōnem suam:  
& in ejus erectione étiam  
corda nostra érigi voluit.  
Nam céteri tres Evange-  
listæ tanquàm cum homine  
Dómino in terrâ ambulá-  
bant, de divinitatē ejus  
pauca dixerunt: istum au-  
tem quasi piguérit in terra  
ambulare, sicut ipso exordio  
sui sermónis intonuit, eré-  
xit se non solùm super ter-  
ram & super omnem ám-  
bitum aëris & celi, sed su-  
per omnem étiam exér-  
tum Angelórum, omnem  
que constitutionem invisi-  
biliū potestátum, & per-  
vénit ad eum per quem  
facta sunt ómnia, dicendo:  
In principio erat Verbum, &  
Verbum erat apud Deum,  
& Deus erat Verbum.

## LECTIO vij.

**H**Uic tantæ sublimitati  
principii étiam cétera  
cóngrua prædicavit, & de  
Dómini divinitatē, quomodo  
nullus álius, est locú-  
tus. Hoc eructabat quod  
biberat. Non enim sine  
causâ de illo in isto ipso  
Evangélio narratur, quia  
& in convívio super pectus  
Dómini discubebat. De  
illo ergo pectore in secréto  
bibébat; sed quod in se-  
créto biberit, in manifesto  
eructavit, ut perveniat ad

cmnes gentes non solùm  
incarnatiō Filii Dei, & pas-  
sio & resurréctio; sed etiam  
quid erat ante incarnatiō-  
nem, únicus Patri, Ver-  
bum Patris, coeternus ge-  
neranti, æquális ei à quo  
missus est.

## IN III. NOCTURNO.

## LECTIO vij.

Léctio sancti Evangélii se-  
cundùm Matthæum.

## Cap. 20.

**I**N illo tempore; Acces-  
sit ad Iesum mater filiorum  
Zebedæi, cum filiis suis,  
adorans, & petens  
aliquid ab eo. Et reliqua.  
Homilia sancti Gregorii  
Papæ.

## Homil. 35. in Evang.

**Q**Uia duo sunt martyri  
genera, unum in oc-  
culto opere, aliud in  
público, testatur Véritas,  
quæ Zebedæi filios requi-  
rit, dicens: Potestis bibere  
cálicem quem ego bibitu-  
rus sum? cui cùm prótinus  
respondérent, Póssimus;  
íllicò Dóminus respondit,  
dicens: Cálicem quidem  
meum bibétis. Quid enim  
per cálicem, nisi dolorem  
passiōnis accipimus? de quo  
álias dicit: Pater, si fieri  
potest, tránseat à me calix  
iste. Et Zebedæi filii, id  
est, Jacóbus & Joannes,  
non uterque per martyrium  
occubuit, & tamen quod  
uterque cálicem biberet,  
audívit. Joannes namque  
nequéquam per martyrium

vitam finivit, sed tamen Martyr extitit; quia passio-nem, quam non suscepit in corpore, servavit in mente. Et nos ergo hoc exem-  
plo, sine ferro esse possumus. Martyres, si patien-tiam veraciter in animo custodimus.

## LECTIO viii.

Servate ergo, fratres, in mente patientiam, eamque cum res exigit, exerce-re in operatione. Nullum vestrum ad odium proximi contumeliosa verba com-moveant, nulla periturarum rerum damna pertur-bent. Si enim fixa mente mansura damna pertinatis, damna rerum transiunt gravia non putatis: si aeternae retributionis gloriae conspicitis, & de temporali injuria non do-latis. Tolerate ergo adver-

sarios vestros, sed ut fra-tres diligite, quos tolera-tis. Aeterna premia pro-damnis temporaliibus qua-rite. Nec quisquam ves-trum suis se viribus hanc implere posse confidat: sed obtinere precibus, ut ipse hanc qui imperat, praestet. Et scimus quia petentes libenter audit, quando hoc petitur largiri quod jubet.

## LECTIO ix. de S. Ge-novefa.

AD PRIMAM, R. br. Qui Ecclésiæ tuæ \* Apóstolos & Evangelistas dedisti. Eph.

4.

IN MISSA, Evang. ut in Feste S. IACOBI, Ap. die 25. Julii.

## IN II. VESPERIS.

Antiph de Laudibus.  
Capitulum (omisso ¶.  
Alleluia-tico) Hymnus, &c.  
ut in die.

COMPLETOR. ut heri.



# COMMUNE

## FESTORUM

### BEATÆ MARIAE VIRGINIS.

¶ Si aliquod Festum B. Mariae Virginis, quod in Calendario non reperitur, alicubi de consensu D. D. Episcopi Ritu Solemni celebretur, Officium fit ut sequitur.

#### INI. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* **E**xultabimus, & læ-  
7. d. **E**t tabimur in te, ô  
pulcherrima inter mulieres.  
*Cant.* 1.

*Ant.* 1. D. Ecce tu pul-  
chra es, amica mea, ecce  
tu pulchra es, oculi tui co-  
lumbarum. *Cant.* 1.

*Ant.* 6. F. Favus distillans  
lábia tua, sponsa, mel  
& lac sub lingua tua. *Cant.* 4.

*Ant.* 5. a. Odor unguen-  
torum tuorum super óm-  
nia arómata, & odor ves-  
timentorum tuorum sicut  
odor thuris. *Cant.* 4.

*Ant.* 4. E. Tota pulchra  
es, amica mea, & mácula  
non est in te. *Cant.* 4.

*CAPITULUM.* *Cant.* 6.

**Q**uæ est ista quæ progré-  
ditur quasi auróra con-  
surgens, pulchra ut luna,  
elécta ut sol, terribilis ut  
castrorum ácis ordinata?

*R.* Quàm pulcri sunt  
gressus tui, filia Prínci-

pis! \* Quàm pulcra es,  
& quàm decóra, charíssi-  
ma, in deliciis! ¶. Ave,  
grátia plena, Dóminus te-  
cum. \* Quàm pulcri. Gló-  
ria Patri. Resumitur ¶.  
Quàm pulcri. usque ad ¶.  
*Cant.* 7. *Luc.* 1.

#### HYMNUS.

**A**ve, maris stella,  
Dei mater alma,  
Atque semper virgo,  
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave  
Gabriélis ore;  
Fundat nos in pace,  
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,  
Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem;  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,  
Inter omnes mitis,  
Nos culpis solútos,  
Mites fac & castos.

Vitam

VITAM præsta puram,  
Iter para tutum;  
Ut videntes Jesum,  
Semper collætemur.  
SIT laus Deo Patri,  
Summo Christo decus;  
Spiritu Sancto;  
Tribus honor unus.  
Amen.

¶. Concupiscet rex de-  
cōrem tuum, & Quóniam  
ipse est Dóminus Deus  
tuus. *Psal. 44.*

*Ad Magnificat.*

*Ant. 5. C. Duplic.* Gau-  
dens gaudébo in Dómino,  
& exultábit ánima mea in  
Deo meo: quia induit me  
vestimentis salútis, quasi  
sponsam ornátam moníli-  
bus suis. *Iſ. 61.*

*COLLECTA, ut infrà ad  
Laudes.*

*AD COMPLETOR.* *Pſſ.*  
& *Capit.* de *Feriā: cetera*  
*ut infrà post II. Vesperas.*

### AD OFFICIUM NOCT.

*INVIT.* Jesum de María  
natūm, \* Venite, adoré-  
mus. *Matth.*

*Pſ. 94. Venite.* 146.

### H Y M N U S.

**N**OBI S Deum quæ pár-  
turis,  
O Virgo, matrum máxi-  
ma,  
Preces tibi quas fúndimus,  
Offer benigna Filio.

Novi simul tu fœderis,  
Et orbis arca náufragi,  
Columba pacis núntia,  
Et pacis obses mitteris.

**APPA.**

Quo vivis, à te susci-  
pit

Vitam, Crátor ómnium;  
Immensus in te cláuditur:  
De te fit Æternus, caro.

Tuis tenétur légibus,  
Mundi tremendus Légifer;  
A te puer lac mútuat,  
Qui dat cibum quo páscet  
ris.

**CŒLUM** ferentem susti-  
nes,  
Gressus Tonantis tempe-  
ras;

Suóque stantem Númine,  
Loco sitúque dímoves.

Qui natus es de Virgine,  
Jesu, tibi sit glória;  
Cum Patre, cumque Spí-  
ritu,  
In sempitérna sécula.

Amen.

### IN I. NOCTURNO.

*Pſ. Dómine, Dóminus*  
noster. *Fer. II. ad Primam.*

*Ant. 3. a.* Quæ est ista,  
quæ ascendit de deserto,  
deliciis áffluens, innixa su-  
per dilectum suum? *Cant.*  
8.

*Pſ. Cœli enárrant. cum*  
*sua diviſ. Fer. III. ad Offic.*  
*Noct.*

*Ant. 3. a.* Dóminus cón-  
tulit ei splendórem, ut incomparábili decore ómnium óculis apparéret. *Ju-*  
*dith. 10.*

*Pſ. Eructávit. Sabb. ad*  
*Tert.*

*Ant. 8. G.* Vidérunt eam  
filiae, & beatissimam præ-  
dicavérunt; Reginæ, &  
laudavérunt eam. *Cant. 6.*

**G**

¶. Delectavérunt te filiae regum, ¶. In honore tuo.

P. 44.

*LECTIO i.*

De Canticis Canticorum.

*Cap. 4.*

**T**ota pulcra es, amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis; de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

¶. Benedicta es tu, filia à Domino Deo excelsa, \* Prae omnibus mulieribus super terram. ¶. Invenisti gratiam apud Deum, \* Prae. Judith. 13. Luc. 1.

*LECTIO ii.*

**F**Avus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, Nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum univertis lignis Libani, Myrrha & aloë cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum: putes aquarum viventium,

qua fluunt impetu de Libano.

¶. Benedicta tu à Deo tuo; \* Quóniam in omni gente qua audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. ¶. Benedicta tu in mulieribus, & beata quæ credidisti; Quóniam. Judith. 13. Luc. 1.

*LECTIO iii. cap. 6.*

**U**na est columba mea, una est perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Vidérunt eam filiae, & beatissimam prædicavérunt: reginæ & concubinæ, & laudavérunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum ácies ordinata? Descendi in hortum meum, ut videbam poma convallium, & inspicerem si floruerint vinea, & germinassent mala púnica. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Amínadab. Reverttere, reverttere, Sulamitis: reverttere, reverttere, ut intueámur te.

¶. Benedixit te Dóminus in virtute sua, quia \* Per te ad nihilum redégit inimicos nostros. ¶. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: \* Per te. Glória Patri. Repetitur ¶. Benedixit usque ad ¶. Judith. 13. Luc. 1.

**IN II. NOCTURNO.**

*Pf.* Deus noster refūgium. *Sabb. ad Sext.*

*Ant.* 4. A. Cessaverunt fortēs, & quievērunt, donec surgeret mater in Israel. *Judith.* 5.

*Pf.* Magnus Dóminus. *Sabb. ad Sext.*

*Ant.* 2. D. Ubi venit plenitudo tēporis, misit Deus filium suum factum ex muliere. *Gal.* 4.

*Pf.* Benedixisti, Dómine. *Fer. III. ad Laudes.*

*Ant.* 7. c. De María natus est Jesus qui vocatur Christus. *Matth.* 1.

℣. Elégit eam Dóminus ℣. In habitationem sibi. *Psal.* 131.

*LECTIO iv.*

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

*De Assumpt. B. M. V. n. 8.*

**S**ileat misericordiam tuā, Virgo beata, si quis est, qui invocatā te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui céteris in virtutibus congaudémus tibi, sed in hāc pótius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem mirámur: sed misericordia misericordis sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, crēbrius invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit: salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo génere huma-

no fuisse sollicitam, cui dictum est: Ne timeas, María, invenisti gratiā, utique quam quærēbas. Quis ergo misericordiæ tuae, ô Benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tuā quoque misericordiā plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supérnæ invénit restauratiōnem, & profundum ejus sedentibus in ténebris & in umbra mortis obtinuit redemptiōnem. Per te enim cœlum replēsum, inférnus evacuatus est, instauratæ ruinæ ecclésiis Jerusalēm, expectantibus misericordiā vita perdita data.

℟. Magnificat anima mea Dóminum, & exultavit sp̄ritus meus in Deo salutari meo; \* Quid respexit humilitatem ancillæ suæ. ℣. Anima mea exultabit in Dómino, & delectabitur super salutari suo; \* Quia. *Luc.* 1. *Pf.* 34.

*LECTIO v.*

*De 12. Prærog.*

**Q**uid ad Mariam accedere trépidet humana fragilitas? Nihil austерum in ea, nihil terribile: tota suávis est, omnibus offens lac & lanam. Revolve

diligentiū Evangēlicā histōriæ sériem univérsam ; & si quid fortè increpatōrium , si quid durum , si quid dénique signum vel tenuis indignatiōnis occurrerit in María , de cétero suspéctam hábeas , & accédere vereáris. Quod , si (ut verè sunt ) plena magis ómnia pietatis & grātiae , plena mansuetudinis & misericordiæ , quæ ad eam pertainent inveneris ; age grātias ei , qui tales tibi mediatricēm benignissimā miserationē providit , in qua nihil possit esse suspēctum. Dénique ómnibus ómnia facta est , sapiéntibus & insapiéntibus copiosissimā caritatē debitricēm se fecit. Omnibus misericordiæ sinum áperit , ut de plenitūdine ejus accípiant universi , captivus redēptionē , æger curatōnē , tristis consolatiōnē , peccātor véniam , justus grātiā , Angelus lætitiam , dēniqüe tota Trinitas gloriā ; Filii persona carnis humānæ substātiā : ut non sit qui se abscondat à calore ejus.

R. Beátam me dicent omnes generationes , quia \* Fecit mihi magna qui potens est , & sanctum nō men ejus. V. Venite , audite , & narrábo , omnes qui timétis Deum , quanta fecit ánimæ meæ. \* Fecit. *Luc. i. Ps. 64.*

## LECTIO vij.

## De aqua ductu.

**T**OIS ergo mediullis cōdium , totis præcordiōrum affectib⁹ & votis ómnibus Mariam veneremur , quia sic est voluntas ejus , qui totum nos habére voluit per Mariam. Hæc , inquam , voluntas ejus est , sed pro nobis ; in ómnibus síquidem , & per ómnia prōvidens miseris , trepidatiōnem nostram solat⁹ , fidem excitat , spem róborat , diffidéntiam abigit , erigit pusillanimitatēm. Ad Patrem verebáris accédere , Jesum tibi dedit mediátorem : hunc tibi fratre⁹ María dedit. Sed forsitan & in ipso majestatē vereare divinam , quod lícet factus sit homo , manserit tamen Deus. Advocátum habére vis & ad ipsum ? Ad Mariam recurre. Pura síquidem humánitas in María , non modo pura ab omni contaminatione , sed & pura singularitate natūræ. Nec dúbius dixerim , exaudiéatur & ipsa reverentiā suā : exaudiēt útique matrem Filius , & exaudiēt Filium Pater. Filioli , hæc peccatórum scala , hæc mea máxima fidúcia est , hæc tota ratiō spei meæ.

R. Laudáte Dóminū Deum nostrum , qui non deséruit sperantes in se ; \* Et † In me ancillā suā ad.

implévit misericordiam suā, quam promisit domui Iacob. V. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ; sicut locutus est ad patres nostros; \* Et in me. Glória Parri. Repetitur R. Laudate. usque ad V. Judith 13. Luc. 1.

IN III. NOCTURNO.

Ps. Fundamenta. Sabb. ad Sext.

Ant. 6. F. Adamávit eam Rex, hábuitque gratiā & misericordiam coram eo, fecitque eam regnare. Esth. 2.

Ps. Dóminus regnávit, exultet. Fer. III. ad Laud.

Ant. 7. d. Pósitus est thronus matri Regis, quæ sedidit ad dexteram ejus; & dixit ei Rex: Pete mater mea, neque enim fas est ut avértaim faciem tuam. 3. Reg. 2.

Ps. Cantáte. .... quia. Fer. II. ad Sext.

Ant. 5. a. Tu eris super domum meam, & ad tui oris impérium cunctus populus obediens; ecce constitui te super univérsam terram. Gen. 41.

V. Magna est glória ejus R. In salutari tuo, Dómine. Ps. 20.

I. ECTIO viij.  
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. c. 11.

IN illo tempore; Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quedam mulier de turba dixit illi: Beá-

tus venter qui te portávit. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

*Libr. de S. Virginitate.*

Béatior María percipiēdo fidem Christi, quam concipiēdo carnem Christi. Nam & dicentí cuídám, Beatus venter qui te portavit, ipse respóndit: Immò beati qui audient verbum Dei & custodiunt. Dénique fratribus ejus, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum credidérunt, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil Matrē profuisset, nisi felicius Christū corde quam carne gestáasset.

R. Misericordia Dómini à progénie in progénies timéntibus eum. \* Depósuit potentes de sede, & exaltávit húmiles. V. Deus exaltávit m̄z, sicut in præsentiarum cérnitis, ut salvos faceret multos populos. \* Depósuit. Luc. 1. Genes. 50.

*Lectio viii.*  
Psa q̄ iōque virginitas ejus Lídeò grátior & accéptior, quia non eam concéptus Christus viro violátoro quam conserváret, ipse præripuit; sed priusquam conciperétur, jam Deo dicatam de quā nasceréatur éligit. Hoc indicant verba quæ sibi fœtum annuntiánti Angelo María redidit. Quómodò, inquit, fieri

istud, quóniam virum non cognóscō? Quod profécto non diceret, nisi Deo viginem se ante vovísset.

**R.** En óculi vestri vi-  
dent universam glóriam  
meam : \* Veníte ad me,  
& ego dabo vobis ómnia  
bona, properáte quantó-  
cius venientes. **V.** Esurién-  
tes implévit bonis, & di-  
vites dimísit inánes : \* Ve-  
nítate. *Gen. 45. Luc. 1.*

*LECTIO ix.*

**P**oterat & jubéri virgo  
permanére, in quâ Dei  
Filius formam servi con-  
gruēti miráculo accípe-  
ret; sed exémplo sanctis  
futúra virginibus, ne pu-  
tarétur sola virgo esse de-  
buisse, quæ prolem étiam  
sine concúbitu concípere  
meruisset, virginitátem  
Deo dicávit, cùm adhuc  
quid esset conceptúra nes-  
ciret, ut in terréno mor-  
talique corpore cœlestis vi-  
tæ imitatio voto fieret,  
non præcepto; amôre eli-  
gendi, non necessitaté ser-  
viéndi.

**R.** Testis mihi est Deus,  
quómodò cùpiam omnes  
vos in viscéribus Jesu Chris-  
ti; \* Et hoc oro, ut cari-  
tas vestra magis ac magis  
abündet in scíentia, & in  
omni sensu. **V.** Non vobis  
solis ego hoc fœdus ferio,  
& hæc juramenta confir-  
mo, sed cunctis præsénti-  
bus & abséntibus; \* Et hoc  
oro. Glória. *Repetitur. R.*

Testis. usquè ad **V.** *Phil. 1.  
Deut. 29.*

Te Deum.

**V.** *SACERD.* Magnificáte  
Dóminum mecum, **R.** Et  
exaltémus nomen ejus in  
idipsum. *Ps. 33.*

**A D L A U D E S.**

*Psalmi de Dominica.*

**Ant.** **D**Ixit ad eam Rex:  
4. d. **Q**uid vis, regina?  
quid petis ut detur tibi? &  
pro quâ re póstulas? *Esth. 5.*

**Ant.** 2. **D.** Illa respóndit:  
Si invéni grátiam in óculis  
tuis, ô Rex, & si tibi  
placet, dona mihi popu-  
lum meum, pro quo ob-  
secro. *Esth. 7.*

**Ant.** 3. a. **F**ili filii mei sunt;  
benedicat Deus pueris istis,  
& invocétur super eos no-  
men meum. *Génes. 48.*

**Ant.** 6. **F.** Si peccáverint  
tibi.

**CANTICUM.** *Judith. 13.*

**A**Perite portas, quó-  
niam nobiscum est  
Deus, \* qui fecit virtutem  
in Isræl.

Laudáte Dóminum Deum  
nostrum, \* qui non desé-  
ruit sperántes in se:

Et in me ancillâ suâ  
adimplévit misericórdiam  
suum, \* quam promíserit dô-  
mui Isræl :

Et interfécit in manu  
m a \* hostem populi sui.

Confitémini illi, omnes,  
quóniam bonus, \* quóniam  
in séculum misericó-  
dia ejus. -

*Ant.* Si peccáverint tibi,  
& conversi égerint pœni-  
téntiam in toto corde suo,  
dimittas populo tuo quam-  
vis peccatóri. 2. *Paral.* 6.

*Ant.* 5. a. Rex dedit Re-  
gínæ ómnia quæ voluit,  
& petivit ab eo. 8. *Reg.* 10.

CAPITULUM. *Judith.* 18.

**B**enedictus Dóminus,  
quia hodiè nomen tuum  
ita magnificávit, ut non  
recédat laus tua de ore hó-  
minum, qui mémores fué-  
rint virtutis Dómini in  
æternum.

#### H Y M N U S.

**O** Quæ polo sublímior,  
Regina cœli diceris,  
Nos è supernis sédibus,  
María, clemens áspice.

CHRITUS sibi quos éligit  
Fratres, adoptâ filios;  
Et matris in nos víscera,  
Mitesque vultus índue.

QUID à Deo non obtines  
Supplex tuum per Filium,  
Quem virginálí viëtimam  
Offers placentem déxterâ?

CONFISA tanto pignori,  
Ama favére nóxiis,  
A te dato quos sanguine  
Tuus redémit Filius.

FAC, Virgo, nostris cá-  
stitas  
Intacta regnet córdibus:  
Vitæque puræ criminum,  
Sit mors beatá téminus.

QUI natus es de Vírgine  
Jesu, tibi sit glória,  
Cum Patre, cumque Spí-  
ritu,  
In sempitérna sécula.

Amen.

¶. Vultum tuum depre-  
cabuntur. ¶. Omnes dívites  
plebis. *Pf.* 44.

*Ad Benedictus.*

*Ant.* 6. F. *Duplicanda.*  
Tu glória Jerúsalem, tu  
lætitia Israel, tu honorís-  
cénzia populi nostri. *Judith.*

151.

**C O L L E C T A.** Orémus.  
**D**eus, qui beatissimam  
Mariam genitricem  
tuam nobis matrem esse  
voluisti; in hac, quæsumus,  
Solemnitate concéde, ut  
tam piæ matris digni filii  
semper inveniámur, & ejus  
potenti patrocínio júgiter  
muniámur; Qui vivis &  
regnas.

#### A D H O R A S.

**D O X O L O G I A.**  
Qui natus es de Virgine.  
*Psalmi de Dominica.*

#### A D P R I M A M.

*Ant.* 4. d. *Dixit ad cam*  
Rex.

*In p. br.* ¶. Qui natus  
es \* de Mariâ Vírgine.  
*Matth.* 1.

**C A N O N.**  
Ex Concilio Constantinop-  
litano secundo, ecclémico.  
*Ann.* 553. *Coll.* 8. *Can.* 6.

**S**i quis sanctam glorio-  
sam semperque vírginem  
Mariam non própriè  
& verè Dei genitricem con-  
fitétur; eò quod ipse, qui  
ante sécula ex Patre natus  
est Deus Verbum, in últi-  
mis diébus ex ipsâ incarna-

tus & natus est : talis ánatHEMA sit.

## AD TERTIAM.

*Ant. 2. F.* Illa respóndit.

CAPITULUM. *Deut. 9.*

**D**ominum suppliciter deprecábar ; & orans dixi : Dómine Deus , ne disperdas pópulum tuum , & hereditátem tuam quam redemísti in magnitúdine tuâ.

**R.** *br.* Quanta audivimus , & cognovimus ea ! \* Allelúia , allelúia. Quanta. **V.** Patres nostri narravérunt nobis , \* Allelúia. Glória. Quanta.

**V.** Filii qui nascentur & exúrgent , **R.** Narrábunt fíliis suis. *Pf. 77.*

## AD SEXTAM.

*Ant. 3. a.* Filii mei sunt.

CAPITULUM. *Baruch. 4.*

**A**Nimæquióres estóte , fílii ; clamáre ad Dóminum , & eripiet vos de manu príncipum inimicórum : ego enim sperávi in æternum salútem vestram ; & venit mihi gáudium à Sancto super misericórdia quæ véniet vobis ab æterno salutari nostro.

**R.** *br.* O Dómine , ego servus tuus , \* Allelúia , allelúia. O Dómine. **V.** Ego servus tuus , & filius ancillæ tuæ , \* Allelúia. Glória. O Dómine. *Pf. 115.*

**V.** Salvum fac filium ancillæ tuæ ; **R.** Fac me-

cum signum in bonum. *Pf. 85.*

## AD NONAM.

*Ant. 5. a.* Rex dedit.

CAPITULUM. *Isai. 66.*

**H**Æc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis , & quasi torréntem inundántem glóriam géntium quam sugéritis : ad ubera portabímini , ... quómodo si cui mater blandiátur.

**R.** *br.* Fluminis ímpetus lætitificat civitátem Dei , \* Allelúia , allelúia. Fluminis. **V.** Sanctificávit tabernáculum suum altissimus , \* Allelúia. Glória. Fluminis. *Pf. 45.*

**V.** Astitit Regina à dextris tuis , Deus , in vestitu deaurato , **R.** Circúmdata varietáte. *Pf. 44.*

## AD VESPERAS.

*Psalmi de Officio parvo.*

*Ant.* **D**ominare nostri i. D. **T**u , & Filius tuus , quia liberásti nos de mánibus inimicórum. *Jud. 8.*

*Ant. 5. C.* Consúrge sicut in diébus antíquis : nunc quid non tu percussisti superbum , vu'nerásti dracónem ? *Is. 51.*

*Ant. 3. E.* Cur moriémur te vidénte ? Nos & terra nostra tui érimus : salus nostra in manu tua est. *Gen. 47.*

*Ant. 2. D.* Peccávimus Dómino : ne cesses pro no-

bis clamare ad Dóminum  
Deum nostrum, ut salvet  
nos. 1. *Reg. 7.*

*Ant. 4. E.* Ne retrahas  
manus tuas ab auxilio ser-  
vorum tuorum; citò libe-  
ra nos, ferque præsidium.  
*Jos. 10.*

**CAPITULUM. 1. *Reg. 12.***

**A**bsit à me, ut cessem  
orare pro vobis, &  
docébo vos viam bonam &  
rectam. Igitur timete Dó-  
minum, & servite ei in  
veritatem, & ex toto corde  
vestro.

Alleluia, alleluia. **¶**  
Majorem non hábeo grá-  
tiam, quam ut audiam fi-  
lios meos in veritatem am-  
bulare. Alleluia. 3. *Joan.*

*HYMNUS, Ave,* maris  
stella. *ut in I. Vesp.*

**¶**. Diffusa est gratiâ in  
labiis tuis: **¶**. Propterea

benedixit te Deus in æter-  
num. *Pf. 44.*

*Ad Magnificat.*

*Ant 7. G. Duplicanda.*  
Maledicti erunt qui con-  
tempserint te: tu autem læ-  
táberis in filiis tuis, quón-  
iam omnes benedicentur,  
& congregabuntur ad Dó-  
minum. Beáti omnes qui  
diligunt te. *Tob. 13.*

*COLLECTA, ut suprà ad*  
*Laudes.*

---


**AD COMPLETORIUM.**

*Ant. 8. c. Ora pro no-*  
bis, & Dóminus sit tecum  
in ultionem inimicorum  
nostrorum. *Judith. 8.*

*HYMNUS, VIRGINEIS*  
titulis. *in Off. B. M. in Sabb.*

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant. 2. D. Invoca Dómi-*  
num, & loquere Regi pro  
nobis, & libera nos de  
morte. *Esth. 13.*



# C O M M U N E P A T R O N O R U M .

D I E F E S T O .

*P R O A P O S T O L O .*

**I**N I. NOCTURNO.

*Psf. Cœli enárrant, integer, Fer. iij. ad Off. Noct.*  
*Psf. Deus, auribus nostris, integer, Fer. vij. ad Primam.* *Psf. Eructavit. Sabato ad Tert.*

*Lectio i.*

De Epistola prima beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. *Cap. 4.*

**S**ic nos exístimet homo ut ministros Christi, & dispensatōres mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatōres, ut fidēlis quis inveniātur. Mihi autem pro minimo est ut à vobis jūdicer, aut ab humāno die: sed neque meipsum jūdico. Nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem jūdicat me, Dóminus est. Itaque nolite ante tempus jūdicare, quoadusque véniat Dóminus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit con-

silia cōrdium; & tunc laus erit unicuique à Deo.

*Lectio ii.*

**H**Æc autem, fratres, transfigurávi in me & Appollo, propter vos; ut in nobis discatis, ne suprà quām scriptum est, unus adversus alterum inficietur pro álio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis: fine nobis regnatis; & útinam regnatis, ut & nos vobis cum regnēmus! Puto enim quod Deus nos Apóstolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

*Lectio iii.*

**N**Os stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem

ignobiles. Usque in hanc horam & esurimus, & siti-  
mus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & insta-  
biles sumus, & laboramus  
operantes manibus nostris.  
Maledicimur & benedici-  
mus: persecutio nem pâti-  
mur, & sustinemus: blas-  
phemamur, & obsecramus:  
tanquam purgamenta  
hujus mundi facti sumus,  
omnium peripsema usque  
adhuc. Non ut confundam  
vos, hæc scribo; sed ut  
filios meos carissimos mó-  
neos. Nam si decem millia  
pædagogorum habeatis in  
Christo, sed non multos  
patres: nam in Christo  
Jesu per Evangelium ego  
vos gñui.

## IN II. NOCTURNO.

*Pf.* Omnes gentes. *Fer.*  
*ij.* ad *Sextam.* *Pf.* Exaudi  
Deus, orationem. *Sabb.*  
ad *Off.* *Noët.* *Pf.* Confité-  
bimur. *ibidem.*

## IN III. NOCTURNO.

*Pf.* Fundamenta. *Sab-*  
*bato ad Sextam.* *Pf.* Can-  
tate Dómino..... cantate.  
*Fer.* *ij.* ad *Tert.* *Pf.* Dó-  
minus regnavit, irascan-  
tur. *Fer.* *ij.* ad *Sext.*

## AD LAUDES.

CANTICUM. *Isai.* 52.

**Q**uam pulchri super  
montes pedes annun-  
tiantis & prædicantis pa-  
cem, \* annuntiantis bo-  
num!

Prædicantis salutem, \*  
dicentis Sion: Regnabit  
Deus tuus.

Vox speculatorum tuó-  
rum: \* levavérunt vocem,  
simul laudábunt:

Quia oculo ad oculum  
vidébunt, \* cum convé-  
terit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte simul,  
deserta Jerúsalem; \* quia  
consolátus est Dóminus pô-  
pulum suum, redémit Je-  
rusalem.

Parávit Dóminus brá-  
chium sanctum suum, \* in  
oculis omnium géntium:

Et vidébunt omnes fines  
terræ, \* salutare Dci nos-  
tri.

## AD VESPERAS.

*Psalmi.* Dixit. è *Vesp.*  
*Dom.* Laudáte pueri. *ibid.*  
Créddi. è *Vesp.* *Fer.* v. In  
convertendo. è *Vesp.* *Fer.*  
*ij.* Dómine, probasti me.  
integer, è *Vesp.* *Fer.* vj.



## DIE OCTAVA.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO viij.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. c. 6.

**I**N illo tempore; Exiit Jesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Comm. in Matth. cap. 10.  
L. r.

**B**Enignus & clemens Dominus ac magister non invidet servis atque discipulis virtutes suas. Et sicut ipse curaverat omnem languorem & infirmitatem, Apostolis quoque suis tribuit potestatem, ut curarent omnem languorem & omnem infirmitatem in plebe. Sed multa distantia est inter habere, & tribuere; donare, & accipere. Iste quodcumque agit, potestate Domini agit: illi si quid faciunt, imbecillitatem suam, & virtutem Domini confitentur, dicentes: In nomine Jesu surge & ambula.

LECTIO viij.

**D**Uodecim autem Apostolorum nomina sunt haec. Ordinem Apostolorum & meritum uniuscunusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur Simon cognomento Petrus, ad distinctionem alterius Simonis qui appellatur Cananæus de vico Cana Galilææ, ubi aquam Dominus vertit in vinum. Jacobum quoque appellat Zebedæi; quia & alius sequitur Jacobus Alphæi. Et Apostolorum pária jūgaque consociat. Jungit Petrum & Andréam fratres, non tam carne quam spiritu; Jacobum & Joannem, qui patrem corporis relinquentes verum patrem secuti sunt; Philippum & Bartholomæum, Thomam quoque & Matthæum publicanum. Ceteri Evangelistæ in conjunctione nominum primum ponunt Matthæum, & postea Thomam; nec publicani nomen adscribunt, ne antiquæ conversationis recordantes suggillare Evangelistam viderentur. Ipse vero & post Thomam se ponit, & publicanum appellat; ut ubi abundavit iniquitas, superabundet & gratia.

## LECTIO ix.

**H**Os duodecim misit Jesus, præcipiens eis: In viam gentium ne abiératis, & in civitates Samaritanorum non intraveritis; sed pótius ite ad oves quæ perierunt domini Israhel. Non est contrarius locus iste ei præcepto quod postea dicitur: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; quia hoc ante resur-

rectionem, illud post resurrectionem præceptum est. Et oportebat primum adventum Christi nuntiare Iudeis, ne justam haberent excusationem, dicentes, idè se Dominum rejecisse, quia ad gentes & Samaritanos miserit. Juxta tropologiam verò præcipitur nobis, qui Christi censemur nomine, ne in via gentium & hereticorum ambulémus errore; ut quorum religio separata est, separetur & vita.

## DIE FESTO

## PRO UNO MARTYRE.

## IN I. NOCTURNO.

*Pf.* Dómine, quid multiplicati sunt. *è I. Noct. Dom.* *Pf.* Usquequò, Dómine. *Fer. iii. ad Complet.* *Pf.* Exaudi, Dómine. *integer.* *è Laud. Sabbati.*

## LECTIO i.

De Epistola secunda beati Pauli Apóstoli ad Coríntios. *cap. 4.*

**D**eus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illúxit in cordibus nostris, ad illuminacionem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Hábemus autem thesaurum istum in vasibus fíctilibus; ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omni-

bus tribulationem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiōnem pátimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corpóribus nostris.

## LECTIO ii.

**S**Emper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum; ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Hábentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum

est : Crédidi, propter quod locutus sum ; & nos crédimus propter quod & lóquimur : scientes quóniam qui suscitávit Jesum , & nos cum Jesu suscitábit, & constituet vobíscum. Omnia enim propter vos ; ut grátia abundans , per multos in gratiárum actiōne abundet in gloriā Dei. Propter quod non deficimus : sed licet is qui foris est, noster homo corrumpátur ; tamen is qui intus est , renovátur de die in diem.

## LECTIO iii.

**I**D enim quod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiōnis nostræ , suprā modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis ; non contemplantibus nobis quæ vidéntur , sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur , temporalia sunt ; quæ autem non vidéntur , æterna fūnt. Scimus enim , quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiōnis dissolvátur , quòd ædificationem ex Deo habémus , domum non manufactam , æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus , habitatiōnem nostram quæ de cœlo est superindui cupiētes ; si tamen vestiti , non nudi inveniāmur. Nam & qui sumus in hoc tabernáculo , ingemiscimus gravati , eò quòd nolimus expoliari , sed supervestiri ;

ut absorbeátur quod mortale est , à vita.

## IN II. NOCTURNO.

*Ps.* Dómine , in virtute tua. *Fer. iv. ad Sextam Ps.* Miseré mei .... quóniam. *Fer. vij. ad Complet.* *Ps.* Nonne Deo subjécta. *Sabb.* *ad Off. Noct.*

## LECTIO iv.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

*Ser. 311. in nat. S. Cypriani Mart.*

**I**Stum nobis festum diem pássio beatissimi Mártiris fecit , cuius nos victoriæ celébritas in istum locum devotissimos congregávit. Sed celebratio solemnitatis Mártirum imitatio debet esse virtutum. Fácile est honorem Mártiris celebrare ; magnum est fidem atque patientiam Mártiris imitari. Hoc sic agámus , ut illud optémus : hoc sic celebrémus , ut illud pótius diligamus. Quid laudámus in fide Mártiris ? Quia usque ad mortem pro veritáte certavit , & ideo vicit. Blandientem mundum contémpsit , sacerdenti non cessit ; ideo victor ad Deum accessit.

## LECTIO v.

**A** Bundant in isto século erróres & terróres : beatissimus Martyr erróres sapiétiā , terróres patientiā superávit. Magnum est quod fecit : secútus Agnum , leónem vicit. Quando persecutor sacerdotiebat , leo fr-

mēbat; sed quia Agnus sursum attendebatur, leo deorsum calcabatur. Cogitāte, fratres, quale fuit mitti homines per orbem terrarum prædicare hominem mortuum resurrexisse, in cœlum ascendisse, & pro ista prædicatiōne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inférret, damna, exilia, vincula, torménta, flamas, béstias, cruces, mortes.

## LECTIO vij.

**A**lius moriebatur, ut álius honoraretur; álius occidebatur, ut álius coleretur. Nunquid hoc fácerent, nisi flagrantia caritatis de conscientia veritatis? Prædicavérunt mortuum quem sciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitam: sciébant pro qua felicitate ferrent transitóriam infelicitatem, pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eorum cum toto mundo non appenderetur. Audierant: Quid prodest homini, si totum mundum lucrétur, animæ autem suæ detrimentum patiátur?

## IN III. NOCTURNO.

*Ps.* Exaudi, Deus, orationem. *Sabb. ad Off. Noct.* *Psi.* Deus, in adjutórium. *Fer. v. ad Nonam.* *Psi.* Inclina, Domine. integer. *Sabb. ad Complet.*

## LECTIO vij.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum. c. 10.

**I**n illo tempore; Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Et reliqua.

Homilia sancti Cypriani Episcopi & Martyris.  
*Epist. 56. quæ est de exhort. ad martyrium ad Thibaritanos.*

**G**audere nos in persecutiōibus voluit Dominus; quia tunc dantur coronae fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen militiae dédimus, ut pacem tantum modo cogitare, & recusare militiam debeamus, quando in ipsa militia primus ambulaverit Dominus, humilitatis & tolerantiæ & passionis magister; ut quod fieri docuit, prior faceret; & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur. Sit ante oculos, fratres dilectissimi, quod qui omne iudicium à Patre solus accépit, & qui venturus est & judicaturus, jam iudicii sui & cognitionis futuræ sententiam protulerit, prænuntians & contestans confessorum se coram Patre suo confitentes, & negatūrum negantes.

## LECTIO viij.

Longe post præced.

**N**EQUE aliquis persecutio-nis metu sic terreá-tur, ut non evangélicis exhortationibus & præceptis, ac mónitis cœlestibus, ad ómnia inveniá-tur armátus. Irásctur adversárius & mi-natur, sed est qui possit de ejus mánibus liberá-re. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evadere, ipso præmonente & dicente: Ne timueritis eos qui occídunt corpus, ánimā autē non pos-sunt occídere; magis autem metuere eum qui potest & corpus & ánimā occídere in gehennam. Et iterum: Qui amat ánimam suam, perdet illam; & qui odit ánimam suam in isto século, in vitam æternam conser-vabit illam. Ecce agon sublimis & magnus, & coróna cœlestis præmio glorió-sus. Prælantes nos spectat Deus, spectat Ángeli ejus, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas, præsente Deo cón-gredi, & Christo júdice corona-re!

## LECTIO ix.

**A**Rmémur víribus totis, & parémur ad agónem mente incorruptâ, fide intégrâ, virtute devótâ. Armat nos Apóstolus, dicens: Indú-te arma Dei, ut pos-sitis resistere in die nequís-tum. Induámus loricam

justitiæ, ut contra inimici jácula munitum sit pectus & tutum. Calceáti sint evangélico magistério, & armáti pedes, ut cum ser-pens calcári a nobis cœperit, mordére & supplantare non possit. Portémus scu-tum fidei, quo protegente, quidquid jaculá-tur inimicus possit extingui. Accipiámus ad teguntentum cápitis gá-leam salutárem, ut munian-tur aures, ne áudiant edicta ferália: muniantur óculi, ne videant detestanda simulácrá: muniá-tur frons, ut signum Dei incólume servétur: muniá-tur os, ut Dóminum suum Christum viétrix lingua fateá-tur. Armémus & déxteram gláadio spiritali, ut sacrificia funesta fórtiter réspuat & Eu-charistia memor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectá-tur, póstea a Dómino sumptúra præmium cœlestium coronárum.

AD LAUDES.  
CANTICUM. Eccli. 51.

**C**onfitébor tibi, Dómi-ne rex, \* & collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nóminituo: \* quóniam adjútor & protec-tor factus es mihi; Et liberasti corpus meum à perditio-ne, à láqueo línguæ iniquæ, & à lábiis ope-rátiuum mendácium, \* &

in conspectu astantium fac-  
tus es mihi adjutor;

Invocávi Dominum pa-  
trem Dómini mei, ut non  
derelinquat me in die tribu-  
lationis meæ, \* & in témo-  
pore superbórum sine ad-  
jutorio.

Laudábo nomen tuum  
assidue, & collaudábo illud  
in confessióne, \* & exau-  
dita est oratio mea.

Et liberasti me de perdi-

tione, \* & eripuisti me de  
témpore iniquo.

Propterea confitébor, &  
laudem dicam tibi, \* & be-  
nedicam nōmini Dómini.

## AD VESPERAS.

*Psalmi*, Dixit. è Dom.  
Beatus vir. ibid. Crédidi. è  
*Vesp. Fer. v.* Ad Dómi-  
num. è *Vesp. Fer. iij.* Le-  
vávi. è *Vesp. Fer. ij.*

## DIE OCTAVA.

## IN III. NOCTURNO.

*LECTIO viij.*

Léctio sancti Evangélii  
secundum Matthæum.

*Cap. 16.*

**I**N illo tempore; Dixit Iesu discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crux suam, & se- quatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Et reliqua.

Homilia sancti Angustini,  
Episcopi.

*Serm. 131. in Nat. Mar-  
tyrum.*

**I**llâ Evangelicâ tubâ, quando ait Dóminus, Qui amat animam suam, perdet illam; & qui perdidit illam propter me, invéniet eam, accensi sunt Mártires, & vicérunt; quia non de se, sed de Dómino præsumpserunt. Duo-

bus modis intelligi potest quod dictum est, Qui amat animam suam, perdet illam. Si amas illam, perdis eam. Et álio modo: Noli amare, ne perdas. Prior modus istum habet sensum: Si amas, perde illam. Hic sémina illam, & in cœlo metes illam. Agricola si non triticum pérdidit in sémine, non amat in messe. Alius modus sic habet: Noli amare illam, ne perdas illam. Videntur sibi amare animas suas, qui timent mori. Animas suas Mártires si sic amassent, procul dúbio pérdisserent. Quid enim proficeret tenere animam in hac vita, & pérdere in futura?

*LECTIO vijj.*


**S**ed quia Christum non negaverunt, transiérunt de hoc mundo ad Patrem. Quasiérunt Christum, con-

fitendo tenuérunt; moriendo magno lucro perdidérunt áimas suas, fœnum perdentes, corónam promerentes, & vitam sine fine tenentes. Fit dénique, imò factum est in eis quod Dóminus subsequenter adjunxit: Et qui perdiderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui perdiderit, inquit, propter me; tota causa ibi est. Qui perdiderit, non quomodocumque, non quálibet causâ, sed propter me. Illi enim in prophetia jam dixerunt Mártires: Propter te mortificámur to:â die. Propterea Mártirem non facit poena, sed causa.

*LECTIO ix.*

**Q**uando Dóminus passus est, tres crucies causa dixerunt. Inter duos latrones crucifixus erat. Si poena interrogarétur, similis erat

Christus latrónibus. Sed si interrogat quis crucem: Quare crucifixus est Christus? Respondet nobis: Propter vos. Dicant ergo illi & Mártires: Et nos mórtui sumus propter te. Ipse propter nos, nos autem propter illum: sed ipse propter nos, ut conferret nobis beneficium; nos autem propter illum, non ad impertiendum illi beneficium. Proinde nobis in utróque consultum est. Et quod manat ex illo, venit ad nos; & quod fit propter illum, redit ad nos. Ipse est enim de quo dicit áima quæ lètatur in Dómino: Dixi Dómino, Deus meus es tu; quóniam bonorum méorum non eges. Quid est enim bonum méorum, nisi à te datórum? Et quómodò eget aliquo bono, à quo datur omne bonum?



## D I E F E S T O

## P R O P L U R I B U S M A R T Y R I B U S.

I N I. N O C T U R N O.

*Pf.* Verba mea. *Fer. iv.*  
*ad Laudes.* *Pf.* Beati quorū remissæ sunt. *Fer. iiiij.*  
*ad Complet.* *Pf.* Exultate,  
*justi. integer.* *Fer. v.* *ad Laudes.*

*L E C T I O . j.*

De Epistola beati Pauli  
 Apóstoli ad Romános.

*Cap. 8.*

**F**RATRES; Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim acceptis spiritum servitutis iterum in timore; sed acceptis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimónium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compátimur, ut & conglorificemut. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis

ad futuram glóriam quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.

*L E C T I O . ij.*

**S**CIMUS autem quóniam diligéntibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propósitum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imáginis Filii sui, ut sit ipse primogénitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit illos & glorificavit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus trádidit illum: quómodò non etiam cum illo omnia nobis donávit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui & resurréxit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

## LECTIO iii.

**Q**uis ergò nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angelii, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.

## IN II. NOCTURNO.

*Pf. Benedicam. integer, Fer. v. ad Sextam. Pf. Deus noster refugium. Sabb. ad Sextam. Pf. Exaudi, Deus, deprecationem. Fer. vj. ad Offic. Noct.*

## LECTIO iv.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

*Serm. 335. in Nat. Mart.*

**Q**uoniam dies sanctorum Martyrum est, unde potius aliquid delbet nos dicere, nisi de gloria ipsorum? Adjuvet nos Dominus Martyrum.

Audivimus paulò ante beatum Paulum Apóstolum predicantem: Quis nos separabit à caritate Christi? Ista vox est Martyrum. Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: Propter te morte afficiamur tota die, deputati sumus ut oves occisionis; sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Haec est vox Martyrum, omnia tolerare, & de se nihil presumere: illum diligere qui glorificatur in suis; ut qui gloriantur, in Domino gloriantur.

## LECTIO v.

**N**ovérant & illud quod nos cantavimus paulò ante: Lætamini in Domino, & exultate, justi. Si justi in Domino lætantur, injusti non novérunt lætari nisi in seculo. Sed ipsa est prima ácies debellanda. Primo vincendæ sunt delectationes, & postea dolores. Quomodo potest superare mundum senvientem, qui non potest superare blandientem? Blanditur hic mundus pollicendo honores, divitias, voluptates: minatur hic mundus intentando dolores, egestates, humilitates. Qui non contemnit quod pollicetur, quomodo superare potest quod minatur?

## LECTIO vij.

**H**abent delectationem suam divitiae, quis nesciat: Sed plus habet delectationis iustitia. Delectare divitiis cum iustitia. Ubi autem talis articulus tentationis inciderit, ut duo haec veniant in temptationem, divitiae & iustitia; & non possis habere utrumque: sed si miseras manum ad divitias, necesse est ut amittas iustitiam; si miseris manum ad iustitiam, pereant divitiae. Modò elige, modò pugna; modò videamus, si non sine causa cantasti: Lætamini in Dōmino, & exultate, justi; modò videamus si non sine causa audisti: Quis nos separabit à caritate Christi? Et quidem prætermisit omnia quibus blanditur mundus, & te voluit commorare cui blanditur mundus. Quare? Quia certamina Martyrum pronuntiabant: illa uniuersa certamina, ubi viceerunt persecutionem, famem, siti, egestatem, ignominiam; ad extrimum, timorem mortis, & hostem saevissimum.

## IN III. NOCTURNO.

*Ps. Jubilate Deo. è III. Noct. Dom. Ps. Deus venerunt gentes. Fer. iij. ad Complet. Ps. Dóminus regnávit, exultet. Fer iij. ad Laudes.*

## LECTIO viii.

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam. cap. 6.

**I**n illo tempore; Descedens Jesus de monte, stetit in loco campestri; & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudea, & Jerusalēm, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. i. Off. cap. 15. & 16.*

**N**on potest quis præmium accipere, nisi legitimè certaverit: nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina. Nonne injustus est, qui antè querat præmium, quam certamen fuerit absolutum? ideoque Dóminus in Evangélio ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quóniam ipsorum est regnum cœlorum: beati estis, cum vobis maledicent homines, & persequuntur, & dicent omne malum adversum vos propter iustitiam; gaudete & exultate, quóniam merces vestra copiosa est in cœlo. Futuram, non præsentem, in cœlo, non in terra, mercédem promisit esse reddendam. Quid alibi poscis quod alibi debétur? Quid præpróperè corónam exigis, antequam vincas? Quid detérgere púlverem, quid requiéscere cupis? Quid epulari gestis, ante,

quām stádium solvátur ? Adhuc pópulus spéctat , adhuc athlétæ in scámmate sunt ; & tu jam ótium petis ?

*LECTIO viii.*

**S**ed forte dicas : Cur ím-  
pii lætantur ? cur luxu-  
riantur ? cur étiam ípsi non  
mecum labórant ? Quó-  
niam qui non subscrípserint  
ad corónam , non tenen-  
tur ad labórem certáminis ?  
qui in stádium non descén-  
derint , non se perfundunt  
óleo , non obliniunt púlve-  
re. Quos manet glória , ex-  
pectat injúria. Unguentáti  
spectare solent , non decer-  
tare , non solem , æstus ,  
púlverem imbrésque pér-  
peti. Dicant ergò & ípsis  
athlétæ : Veníte , nobiscum  
laboráte. Sed respondébunt  
spectátore : Nos hic ínte-  
rim de vobis judicámus ;  
vos autem sine nobis coró-  
na , si vicéritis , glóriam  
vindicábitis.

*LECTIO ix.*

**I**sti ígitur qui in deliciis ,  
qui in luxúria , rapínis ,  
quæstibus , honóribus stú-  
dia posuérunt sua , spécta-  
tóres magis sunt quām præ-  
liajores. Habent lucrum  
labóris , fructum virtútis  
non habent. Fovent ótium ,  
æstutiâ & improbitáte ágge-  
rant divitiárum acervos ;  
sed exolvent , seram licet ,  
nequitia suæ pœnam. Per-  
fectórum est coróna. Ex-  
pecta ut véniat quod per-

fécum est , quando non  
per spéciem in ænígnate ,  
sed fácie ad fáciem formam  
ípsam redopertæ veritatis  
possis agnoscere.

## A D L A U D E S .

CANTICUM. *Judith. 5.*

**Q**ui sponte obtulisti de  
Israel ánimas vestras  
ad periculum , \* benedicite  
Dómino.

Nova bella éligit Dómi-  
nus , & portas hóstium ipse  
subvertit : \* Clypeus & has-  
ta si apparuerint in millibus  
Israel.

Cor meum díligit prínci-  
pes Israel : \* qui própriâ  
voluntate obtulisti vos dis-  
crimini , benedicite Dómino.

Qui sedétis in judicio , \*  
qui ambuláti in via , lo-  
quimini.

Ubi collisi sunt currus ,  
& hóstium suffocátus est  
exércitus ; \* ibi narrentur  
justitiæ Dómini , & clemén-  
tia in fortés Israel.

Tunc descendit pópulus  
Dómini ad portas , \* &  
obtinuit principátum.

Salvátæ sunt reliquiæ pó-  
puli ; \* Dóminus in fórti-  
bus dimicavit.

Vénérunt reges & pugna-  
vérunt , & tamen níhi tulé-  
re prædantes : \* de célo  
dimicatum est contrà eos.

Sic péreant omnes inimí-  
ci tui , Dómine : \* qui au-  
tem díligunt te , sicut sol  
in ortu suo splendet , ita  
rutilent.

AD VESPERAS.

Psalmi. Dixit. è Vesp.  
Domin. Crédidi. è Vesp.Fer. v. Nisi quia. è Vesp.  
Fer. ij. Qui confidunt. è  
Vesp. Fer. iv. In conver-  
tendo. è Vesp. Fer. ij.

## D I E O C T A V A.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO vij.

Lectio sancti Evangelii se-  
cundum Lucam. c. 21.

**I**N illo tempore; dixit Jesus discipulis suis: Cum audiēritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri; sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii  
Papæ.

Homil. 35. in Evang.

**M**ors justorum bonis  
malis in adjutorium est,  
ut inde perversi sine  
excusatione pereant, unde  
electi exemplum capiunt  
ut vivant. Sed auditis tot  
terrорibus, turbari poterant  
infirmorum corda; atque  
ideo consolatio adjungitur,  
cum protinus subinfertur:  
Ponite ergo in cordibus  
vestris non præmeditari  
quemadmodum respondeatis,  
ego enim dabo vobis os  
& sapientiam, cui non poterunt  
resistere & contradicere  
omnes adversarii vestri.  
Ac si aperte membris suis  
infirmantibus dicat: Nolite

terreri, nolite pertimescere;  
vos ad certamen acceditis,  
sed ego prærior; vos verba  
editis, sed ego sum qui  
loquor.

LECTIO viij. Post pauca.

**Q**uia dura sunt quæ prædicuntur de afflictione  
mortis, protinus consolatio subditur de gáudio  
resurrectionis, cum dicitur:  
Capillus de capite vestro  
non peribit. Scimus, fratre,  
quia caro incisa dolet, capillus incisus non  
dolet. Ait ergo Martyribus  
suis: Capillus de capite  
vestro non peribit; videlicet  
aperte dicens: Cur timetis ne pereat quod incisum  
dolet, quando & illud in vobis perire non  
potest quod incisum non  
dolet? Sequitur: In patientia  
vestra possidébitis animas  
vestras. Idcirco posséssio  
animæ in virtute patientiae  
ponitur; quia radix omnium  
custosque virtutum patientia  
est. Per patientiam  
verò possidémus animas nos-  
tras; quia dum nobis ipsis  
dominari discimus, hoc  
ipsum incípimus, possidere  
quod sumus.

## LECTIO ix.

**S**erváte ergò, fratres, in mente patientiam; eamque, cùm res exigit, exercéte in operatione. Nullum vestrum ad ódium próximi contumeliófa verba commóveant, nulla periturárum rerum damna perturbent. Si enim fixa mente mansura damna pertiméscitis, damna rerum transiuntur grávia non putáris: si æternæ retributiónis glóriam conspícitis, de temporali injúria non dolétis. Toleráte ergò adversários vestros; sed ut fratres diligite quos

tolerátis. Æterna prämia pro damnis temporálibus querite. Nec quisquam vestrum suis se viribus hæc implére posse confidat; sed obtinéte p्रécibus, ut ipse hanc qui imperat prästet. Et scimus quia peténtes libenter audit, quando hoc pétitur largiri quod juber. Cùm continuo pullátur in prece, concitè opitulátur in tentatione per Jesum Christum Dóminum nostrum, qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate Spíritus sancti in sécula seculorum. Amen.

DIE FESTO  
PRO PONTIFICIBUS.

## IN I. NOCTURNO.

*Pf.* Dómine Dóminus noster. *Fer. ij. ad Primam.*

*Pf.* Exaudiát te Dóminus.

*Fer. v. ad Officium Noct.*

*Pf.* Dómine, in virtute.

*Fer. iv. ad Sextam.*

## LECTIO j.

De Epistola prima beati Pauli Apóstoli ad Timótheum. *cap. 3.*

**F**Idélis sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospi-

tálem, doctórem, non violentum, non percussórem, sed modestum; non litigiosum, non cúpidum, sed suæ dómui bene präpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem dómui suae präesse nescit, quomodo Ecclésiæ Dei diligétiā habēbit? Non néophytum; ne in supérbiā elatus, in judicium incidat diáboli. Oportet autem illum & testimónium habere bonum ab iis qui foris sunt; ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diáboli.

## LECTIO

## LECTIO ij.

De Epistola ad Titum.

Cap. i.

**O**portet Episcopum sine crímine esse , sicut Dei dispensatorem : non superbum , non iracundum , non violentum , non percutiérem , non turpis lucri cupidum ; sed hospitalem , benignum , sóbrium , justum , sanctum , contínen- tem , amplectentem eum qui secundum doctrinam est , fidélem sermonem ; ut potens sit exhortari in doctrina sana , & eos qui contradicunt argúere. Sunt enim multi etiam inobedientes , vaniloqui , & seductores , máxime qui de circumcisíone sunt , quos oportet redargui ; qui universas domos subvertunt , docentes quæ non oportet , turpis lucri gratiâ.

LECTIO iiij. cap. 2.

**T**U autem lóquere quæ decent sanam doctrinam. Senes , ut sóbrii sint , pudici , prudentes , sani in fide , in dilectione , in patientia. Anus similiiter , in hábitu sancto , non criminatrices , non multo vino servientes , bene docentes , ut prudéntiam dóceant adolescentulas , ut viros suos ament , filios suos diligant ; prudentes , castas , sóbrias , domus curam habentes , benignas , subditas viris suis , ut non blasphemetur verbum Dei. Júvenes simi-

APPA.

liter hortare , ut sóbrii sint. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum , in doctrina , in integritate , in gravitate , verbum sanum , irreprehensibile ; ut is qui ex adverso est , vereatur , nihil habens malum dicere de nobis.

IN II. NOCTURNO.

*Ps. Dóminus regit me. Fer. v. ad Sextam. Ps. Júdica me, Dómine, quóniam. Fer. iiij. ad Tert. Ps. Júdica me, Deus. Fer. iv. ad Tert.*

LECTIO iv.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

*Homil. 10. in Epist. 1. ad Tim.*

**S**i quis Episcopatum appetit , non principatus ac dominationis fastu , sed pro cura regimini & caritatis affectu non improbo : bonum quippe desiderat opus. Quippe & Móyses eamdem rem appetivisse cognoscitur. Verum ille hujusmodi potentiā ambitūque dominandi nequáquam quæsivit ; sed eam rem ita cupivit , ut nec contumeliam audire refugeret , cùm illi diceretur : Quis te constituit principem & júdicem super nos ? Si quis igitur ita desiderat , desiderat bene. Episcopátus enim ex eodicitur , quod omnes inspiciat cunctaque speculetur. Oportet igitur Episcopum

H

irreprehensibilem esse. Hoc único verbo genus omne virtutum expressit. Itaque qui sibi vel levis culpae conscius est, male profecto facit eam rem appetens, quâ indignum se per opem facit. Non enim decet hujusmodi régere, sed potius regi. Eum quippe qui regendos álios lúscipit, tantâ decet gloriâ virtutis excelle, ut instar solis, ceteros véluti stellárum ignicu-los in suo fulgore obsecûret. Debet hujusmodi vitam habére immaculatam atque compósitam; ut omnes in illum & in ejus vitam, véluti in exemplum álium excellens, intueán- tur.

## LECTIO v.

**O**portet Episcopum vigilantem esse, hoc est, clarissimâ mentis ácie præditum, innumerosque habentem omni ex parte óculos, quibus acutissimè cuncta prospiciat. Sunt quippe plura quæ incident, & mentis hébetent ácier, putâ concupiscentiæ desidériæ, curæ quotidianæ, rerumque perturbatio; & plárima id genus úndique imminent. Vigilantem igitur esse necesse est eum, qui non tantum sui curam habet, verum etiam reliquorum. Decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est, ac spiritu vivere, & affectus sui flammam operibus ipsis

ostendere sollicitudine atque industriâ præcélere; ut die noctuque exércitum & castra perlustret, laboret, & sui officii munus diligentissimè impletat, atque omnium curam & sollicitudinem gerat. Pudicum, addit, ornatum, & hospitalitatis amatorem. Ista in subditis plenumquæ videas. Verum quoniam opörtet eum & ea quæ sunt rectoris habere, idcirco subjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe a subditis nequaque exigitur: ceterum illi ante omnia adesse debet, qui hujusmodi suscepit officium.

## LECTIO vi.

**I**dcircò nos éligit Deus, ut simus quasi luminaria, ut véluti fermentum evadamus, ut magistri ceterorum efficiámur, ut véluti Angeli cum hominibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infantibus & pueris, quasi spirituáles cum animalibus, ut ex contrubérnio nostro ingentia lucra conquirant; ut sémina simus, ut fructum lætissimum afferámus. Non opus esset verbis, si hunc in modum vita nostra sanctitatis luce fulgéret. Nihil magistris opus esset, si virtutis probos actus præferremus. Nemo profecto Gentilis esset, si ipsi oportet Christiani esse cu-

Catēmus , si Dei mōnitis ac  
ſcitis obtemperatēmus , si  
injūrias perpeſſi vicem non  
referrēmus , si maledictis  
laceſſī benedicerēmus , si  
pro malis bona redderē-  
mus. Nemo eſſet ita fera  
bēllua , ut non statim ad  
cultum verae religionis ac-  
cūrreteret , si vidēret hēc ab  
ōmnibus fieri. Atque ut  
diſcas ita eſſe , unus Pau-  
lus qui talis fuit , tot pō-  
pulos attraxit ad Dei noti-  
tiām. Si omnes eſſēmus  
hujusmodi , quot terrārum  
orbes & ipſi attrahere poſ-  
ſēmus !

## IN III. NOCTURNO.

*Pſ. Te decet. Fer iv. ad Laudes. Pſ. Quām dilecta. Fer. v. ad Tert. Pſ. Dóminus regnāvit , irascantur. Fer. ij. ad Sext.*

## LECTIO viij.

Lectio sancti Evangeliſ ſe-  
cundūm Matthæum. c. 24.

**I**N illo tēpore ; Dixit I-  
esus diſcīpulis ſuis : Vi-  
gilāte , quia nescitis quā  
horā Dóminus vester ven-  
turus fit. Et rēliqua.

Homilia sancti Hilarii ,  
Episcopi.

Comm. in Matth. cap. 26.

**U**t ignorātiā illam  
diēi ōmnibus taciti  
non ſine útilis filēntiū  
ratione eſſe ſcīremus , vi-  
gilāre nos Dóminus propter  
adventum furis admónuit ,  
& orationum affiduitate de-  
tentos , ōmnibus præcepto-  
rum ſuorum opēribus inhæ-

rēre. Furem enim eſſe oſten-  
dit zābulum ad detrahenda  
ex nobis ſpōlia pervigilem ,  
& cōporum noſtrōrum  
dōmibus infidiantem ; ut  
ea , incuriōſis nobis &  
ſomno dēditis , confiliōrum  
ſuōrum atque illecebrārum  
jāculis perfōdiat. Parātos  
igitur eſſe nos cōvenit ;  
quia diēi ignorātiō intentam  
ſollicitūdinem ſuceptam ex-  
pectatiōnis exāgitat.

## LECTIO viij. cap. 27.

**Q**uis namque eſt fidēlis  
ſervus & prudens ,  
quem conſtituit Dóminus  
ſuper familiā ſuā ?  
Quanquam in commūne  
nos ad indefeffam vigilā-  
tiā curam adhortētur , ſpe-  
ciālem tamen pōpuli prin-  
cipibus , id eſt , Episcopis ,  
in expectatiōne adventūque  
ſuo ſollicitūdinem mandat.  
Hunc enim ſervum fidēlem  
atque prudentem , præpō-  
ſitum familiā ſignificat ,  
cōmoda atque utilitātes  
comiſſi ſibi pōpuli curan-  
tem. Qui ſi dicto audiens ,  
& præceptis obēdiens erit ,  
id eſt , ſi doctrinā oppor-  
tunitāte & veritāte infirma  
conſirmet , disrupta coaſō-  
lidet , depravāta convertat ,  
& verbum vitæ in æterni-  
tatis cibum alendā familiā  
diſpendat , atque hēc agens ,  
hiſque immorans deprehen-  
dātur ; gloriām à Dómino  
tanquam diſpensatōr fidēlis  
& villicus ūtilis conſequētur ,  
& ſuper ōmnia bona conſti-

tuétur; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra quod mélius sit.

*LECTIO ix.*

**Q**uod si cōntuens Iongam Dei patientiam, quæ in profectum humānæ salutis exténditur, adversum conservos insolefecet, & séculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantum curam in cultu ventris exercens; desperatā die Dóminus advéniet, eumque à bonis quæ spopónderat, dívidet, portionemque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitatem constituet: quia adventum desperáverit, quia mandatis non obtémperáverit, quia præsentibus studuerit, quia vitâ géntium víxerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam, fame, siti, cæde vexáverit.

**AD LAUDES.**

**CANTICUM.** *Ecli. 50.*

**S**acerdos magnus in as-  
censu altaris sancti, \*  
gloriā dedit sanctitatis amictum.

In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, \* & ipse stans juxta aram;

Et circa illum coróna fratrum; \* quasi plantatio cedri in monte Líbano.

Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, \* & omnes filii Áaron in gloria sua.

Oblatio autem Dómini in manib[us] ipsorum, \* coram omni Synagoga Israël:

Et consummatiōne fun-  
gens in ara, \* amplificare oblationem excelsi regis;

Porréxit manum suam in libatione, \* & libavit de sanguine uvæ.

Effudit in fundamento altaris odorem divinum ex celso Príncipi.

**AD VEPERAS.**

*Psalmi de Dominica, ultimo excepto, cuius loco dicitur Ps. Memento. cum sua divisione, è Vesper, Sabb.*



## D I E O C T A V A.

## LECTIO viij.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum:  
cap. 24.

**I**N illo tempore; Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis quam horæ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia sancti Fulgentii Episcopi.

Serm. 1. de dispensat. Domini, n. 1.

**D**ominicus sermo quæ debemus omnes, non solum studiosè, verum etiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenens ubique tempériem, ut nec ovibus defint pábulæ, nec pastóribus alimenta; quædam speciáliter solis præcipit nobis, quædam verò generáliter & nobis & vobis. Nobis namque (id est, servis, quos Pater ille familiæ, rerum omnium Dominus ad hoc in sua magna domo constituit, ut populo ejus verbum gratiæ ministrémus) speciáliter adiungitur sanctæ prædicatio-nis officium; generáliter verò & nobis & vobis salutáris indicitur observantia mandatorum.

## LECTIO viij. n. 2.

**S**ervorum igitur, quos populo suo præpósuit Dominus, speciáliter volens officium demonstrare, ait: Quis putas est fidélis dispensátor & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille ser-vus, quem, cum vénérat Dominus, invenerit ita facientem. Quis est iste Dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discí-pulis ait: Vos vocatis me, Magister & Domine; & bene dicitis: sum étenim. Quæ est etiam hujus Domini familiæ? Nimírum illa est, quam ipse Dominus de manu inimici redémit. & suo dominio mancipávit. Hæc autem familiæ sanctæ est Ecclésia cathólica, quæ per orbem terræ copiósâ fertilitate diffundit, & redemptam se pretioso sui Domini sanguine gloriátur.

## LECTIO ix. n. 2. &amp; 3.

**D**ispensátor verò quis sit, quem oportet esse fidélem páriter ac prudentem, Paulus nobis ostendit Apóstolus, qui de se suis que fóciis loquens, ait: Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dis-

pensatōres mysteriōrum Dei. Hic jam quāritur inter dispensatōres, ut fidēlis quis inveniātur. Ne quis autem nostrūm solos Apóstolos dispensatōres factos existimet, neglectōque militiæ spiritális officio, servus piger infidéliter imprudenterque dormítet, ipse beátus Apóstolus Episcopos esse dispensatōres ostendens, ait: Oportet ergo Episcopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatōrem. Servi Patris familiás sumus, dispensatōres Dómini sumus; mensuram trítici

quam vobis erogémus, 20- cēpimus. Quæ verò sit ista mensura trítici si quāramus, ipsam quoque vobis beátus Paulus Apóstolus ostendet, dicens: Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Hujus trítici mensuram vobis in nōmine Dómini damus, quóties illuminati dono gráțiae spiritális, secundum régulam veræ fidei disputámus; & eamdem trítici mensuram per Domínicos dispensatōres accipitis, cùm quotidie per Dei fámulos verbum veritatis auditis.

## DIE FESTO PRO DOCTORIBUS.

### I. NOCTURNO.

*Psf. Beatus vir. è I. Noct.  
Dom. Ps. Salvum me fac,  
Dómine. Fer. v. ad Compl.  
Ps. Cœli enarrant. integer.  
Fer. iij. ad Off. Noct.*

#### LECTIO j.

De libro Ecclesiástici.

#### Cap. 39.

**S**apiéntiam omnium antiquorum exquireret sapiens, & in Prophétis vacabít. Narrationem virorum nominatórum conservabít, & in versutias parabolárum simul introibit. Occulta proverbiórum exquireret, & in absconditis parabolárum conversabí-

tur. In médio magnatōrum ministrabit, & in conspectu præsidis apparébit. In terram alienigenarum géntium pertránset: bona enim & mala in homínibus tentabit.

#### LECTIO ij.

**C**or suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabítur. Apriert os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabítur. Si enim Dóminus magnus voluerit, spíritu intelligétiæ replébit illum, & ipse tanquam imbres mittet clo-

quia sapientiae suæ : & in oratione confitetur Dómino : & ipse diriget consilium ejus & disciplinam , & in absconditis suis consiliabitur.

## LECTIO iii.

**I**psé palam faciet disciplinam doctrinæ suæ , & in lege testamenti Dómini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus , & usque in séculum non délebitur. Non recédet memoria ejus , & nomen ejus requirétur à generatiōne in generatiōnem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes , & laudem ejus enuntiabit Ecclésia.

## IN II. NOCTURNO.

*Psf. Júdica me, Dómine , quóniam. Fer. iii. ad Tert.*

*Psf. Benedicam Dóminum. integer. Fer. v. ad Sext.*

*Psf. Dixit injustus. Fer. iv. ad Laudes.*

## LECTIO iv.

Ex libro sancti Augustíni Episcopi contra Juliánū. Lib. 2. Cap. 10.

**S**anctos & in sancta Ecclésia illustres Antistites Dei non Platonicis , & Aristotelicis , & Zenonicis , aliisque hujuscemodi , vel Græcis , vel Latinis , quamquam ex istis aliquos eorum , verum omnes sacrī litteris eruditos , nominatim , sicut oportébat , expressi ; corumque senten-

tias , quantum sufficere videbatur , sine ulla éditas ambiguitate digesti ; ut in eis timeas non ipsos , sed illum qui sibi eos utilia vasa formávit , & sancta templa construxit : qui tunc de ista causa judicaverunt , quando eos nemo potest dicere pérperām cuíquam vel adversari , vel favére potuisse. Nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attendérunt , vel inimicitias exercuerunt : neque nobis , neque vobis iráti sunt ; neque nos , neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésia , tenuerunt : quod didicérunt , docuérunt : quod à Pátribus accepérunt , hoc filii tradidérunt.

## LECTIO v.

*Longè post præcedentia.*  
**I**sti Episcopi sunt docti , graves , sancti , veritatis acerrimi defensores adversus gárrulas vanitates : in quorum ratione , eruditio , libertate , quætria bona júdici tribuisti , non potes invenire quod spernas. Si Episcopális Syndodus ex toto orbe congregaretur , mirum si tales possent illic facile tot sedere , quia nec isti uno tempore fuérunt : sed fidèles , & multis excellentiores paucos dispensatóres suos Deus per diversas ætā-

tes tēporum , locorumque diſtantias , ſicut ei placet atque expedire jūdicat , ipſe diſpensat . Hos itaque de aliis atque aliis tempōribus atque regionib⁹ ab Oriente & Occidente congregatos vides , non in locum quo navigare cogantur homines , ſed in librum qui navigare poſſit ad homines .

## LECTIO vij.

**Q**uantò tibi eſſent iſti jūdices optabiliōres , ſi tenēres cathólicam fidem ; tantò tibi ſunt terribiliōres , quia oppugnas cathólicam fidem , quam in lacte ſuxérunt , quam in cibo ſumpſérunt , cuius lac & cibum parvis magnisque ministravérunt , quam contrā inimicos , etiam vos tunc nondum natos , unde nunc revelámini , apertissimè ac fortissimè defendérunt . Tálibus post Apóstolos sancta Ecclésia plantatóribus , rigatóribus , ædificatóribus , paſtórribus , nutritóribus crevit . Ideo profánas voces veſtræ novitatis expávit ; & cauta ac ſóbria , ex admonitione Apostólica , ne ſicut ſerpens Evam ſedúxit astutiā ſuā , ſic & mens ejus corrumperétur à caſtitate qua est in Christo ; cathólicæ fidei virginitate , iſidiā veſtri dōgmatis ſur-

repentis exhortavit , & tanquam caput cōlubri calcavit , obtrivit , abjecit .

## IN III. NOCTURNO.

*Pſ. Expectans. integer.*  
*Fer. vij ad Tert. Pſ. Quām bonus. integer.*  
*Fer. ij. ad Nonam. Pſ. Bonum eſt confiteri.*  
*Fer. ij. ad Laudes.*

## LECTIO vij.

Léctio sancti Evangélii ſecondūm Matthæum . c. 5 .

**I**n illo tēpore ; Dixit Ihesus diſcipulis suis : Vos eſtis ſal terræ : quod ſi ſal evanuerit , in quo ſaliétur Et rēliqua .

Homilia sancti Augustini  
Episcopi.

*Lib. i. de Serm. Domini in Monte , c. 6.*

**O** Stendit Dóminus fātuos eſſe judicandos , qui temporálium bōnorum vel cōpiam ſectantes , vel inópiam metuentes , amittunt æterna , que nec dari poſſunt ab hominibus , nec auferri . Itaque ſi ſal infatuatum fuerit , in quo ſaliétur ? Id eſt , ſi vos per quos condiendi ſunt quodammodo pōpuli , metu persecutiōnum temporálium amiſeritis regna celorum ; qui erunt homines per quos à vobis error auferátur , cùm vos élégerit Deus per quos errórem auferat ceterórum ?

## LECTIO viiij.

**E**RGO ad nihil valet sal infatuatum, nisi ut mittatur foras, & calcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus, qui patitur persecutionem; sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior: sed inferior non est, qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cœlo est.

## LECTIO ix.

**V**OS estis lumen mundi. Quomodo dixit superius Sal terræ, sic nunc dicit Lumen mundi. Nam neque superius ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus; sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condendis & extinguendis putoribus Apostolicum salem Dominus misit in mundum. Et hic mundum, non cœlum & terram, sed homines qui sunt in mundo vel

diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apóstoli missi sunt.

## AD LAUDES.

CANTICUM. *Eccl. 15.*

**C**IBabit illum Deus pane vitae & intellectus, \* & aqua sapientiae salutaris potabit illum:

Et firmabitur in illo, & non flectetur: \* continabit illum, & non confundetur:

Et exaltabit illum apud próximos suos, \* & in medio Ecclésiæ apériet os ejus;

Et adimplébit illum spiritu sapientiae & intellectus, \* & stolâ gloriae vestiet illum.

Jucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, \* & nomine æternæ hæreditabit illum.

## AD VESPERAS.

*Psalmi de Dominica, sed loco ultimi dicitur. Ps. In convertendo. è Vesp. Fer. ij.*



## D I E O C T A V A.

IN III. NOCTURNO.

*Lectio viij.*

**L**ectio sancti Evangelii secundum Joannem. c. 7.

**I**N illo tempore; Ascendit Jesus in templum, & docēbat. Et mirabantur Iudei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Respondit eis Jesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

*In Joan. Tract. 29.*

**D**ominum Jesum invenerimus dixisse: Si quis voluerit facere voluntatem ejus qui misit me, cognoscet de doctrina. Quid est, cognoscet? Hoc est, intelliget. Quod est autem, Si quis voluntatem ejus voluerit facere? Hoc est credere. Sed quia cognoscet, hoc est intelliget; omnes intelligunt: quia verò quod ait, Si quis voluerit voluntatem ejus facere, hoc pertinet ad credere; ut diligenter intelligatur, opus est nobis ipso Domino nostro expositore, ut indicet nobis utrum revera ad credere pertineat

facere voluntatem Patris ejus. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Ipsa est ergo fides quam de nobis exigit Deus: & non invenit quod exigit, nisi donaret quod invenerat. Non qualiscumque fides, sed fides quae per dilectionem operatur. Haec in te sit, & intelliges de doctrina. Quid enim intelliges? Quia, inquit, ista doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Id est, intelliges quia Christus Filius Dei, qui est doctrina Patris, nec est, nec loquitur ex seipso; sed Filius est, & Verbum Patris.

*Lectio viiij.**Serm. 17. in Psalm. 118.*

**D**oce me, inquit Psalmus, quia mandatis tuis credidi. Quid aliud est docere, quam scientiam dare? Haec duo ita sibi conexa sunt, ut alterum sine altero esse non possit. Nemo enim docetur, nisi discat; & nemo discit, nisi doceatur. Et ideo, si discipulus non sit capax eorum quae à doctore dicuntur, non potest doctor di-

Cere : Ego eum dōcui , sed ipse non dīdicit. Dicere autem potest : Ego ei dixi quod dicendum fuit ; sed ille non dīdicit , quia non percépit , non comprehēdit , non intellēxit. Nam profectò & ille didicisset , si iste docuisset. Et ídeò Deus , quando vult docére , prius dat intellectum , sine quo ea quæ ad divinam doctrinam pértingent , homo non potest discere. Unde & paulò pōst dicit : Da mihi intellectum , ut dis- cam mandáta tua. Cūm itaque ália sint , quæ ídeò discimus , ut tantummodo sciāmus , ália verò , ut étiam faciāmus ; quando ea Deus docet , sic docet , ut scienda sciāmus , aperiendo veritatem : sic docet , ut facienda faciāmus , inspirando suavitatem. Neque enim ei frustrà dicitur : Doce me facere voluntatem tuā ; sic , inquit , doce , ut faciam , non tantummodo ut sciām.

## LECTIO ix.

**Q**UOD verò ait , Quóniam mandatis tuis créddidi , non immēritò

quæri potest cur nō dīxerit , Obedivi , sed créddidi. Alia sunt enim mandata , ália promissa. Mandata facienda suscipimus , ut accipere promissa mereāmur. Promissis ergò créddimus , mandatis obtemperāmus. Quid est ergò , Mandatis tuis créddidi ? nō , créddidi quod tu illa mandáveris , non áliquis homo ; quamvis per hómines homínibus ministrata sint. Quia itaque créddidi tua esse mandata , ipsa est fides mea quā id créddidi : impetrat abs te gratiā quā faciam quod mandasti. Si enim homo mihi hoc jubéret forinsecus , numquid ut étiam fáceret quod jubébat , adjuvábat intrinsecus ? Doce ergò me suavitatem , inspirando caritatem ; doce me disciplinam , donando patientiam ; doce me sciéntiam , illuminando intelligéntiam. Quóniam mandatis tuis créddidi. Te illa créddidi mandasle , qui Deus es , & hómini donas unde fáciás eum fácerem quod mandas.



## DIE FESTO

## PRO PRESBYTERIS.

*Psalmi ut in Communi  
Pontificum.*

IN I. NOCTURNO.

*LECTIO j.*

De Epistola prima beati Pauli  
Apóstoli ad Timótheum.

*Cap. 4. 12. ad fin.*

**E**xemplum esto fidélium  
in verbo, in conver-  
satione, in caritáte,  
in fide, in castitáte. Dum  
vénio, atténde lectíoni,  
exhortationi & doctrinæ.  
Noli negligere grátiā quæ  
in te est, quæ data est tibi  
per prophetiam, eum im-  
positiōne mánuum Presby-  
térii. Hæc meditáre, in his  
elto; ut profectus tuus  
maniféstus sit ómnibus.  
Atténde tibi, & doctrinæ:  
ansta in illis. Hoc enim fá-  
ciens, & te ipsum salvum  
fácies, & eos qui te aú-  
diunt.

*LECTIO ij. c. 6. 6. ad 12.*

**E**st quæstus magnus,  
pietas cum sufficiéntia.  
Nihil enim intúlimus in  
hunc mundum: haud dú-  
biū quod nec auférre quid  
póssimus. Habéntes autem  
aliménta, & quibus tegámur,  
his conténti sumus.  
Nam qui volunt dívites  
fieri, ícidunt in tentatio-  
nem, & in láqueum diábo-

li, & desidéria multa inu-  
tilia, & nocíva, quæ mer-  
gunt hómines in intéritum  
& perditónem. Radix enim  
ómnium malórum est cupi-  
ditas; quam quidam appe-  
tentes, erravérunt à fide,  
& inscruéunt se dolóribus  
multis. Tu autem, ô homo  
Dei, hæc fuge: sectáre  
verò iustitiam, pietátem,  
fidem, caritátem, patiéntiam,  
mansuetudinem. Cer-  
ta bonum certámen fidei,  
apprehénde vitam æter-  
nam, in qua vocátus es.

*LECTIO ij. n. 17. ad fin.*

**D**ivítibus hujus séculi  
præcipe non sublime  
sápere; neque sperare in  
incértō divitiárum, sed in  
Deo vivo, ( qui præstat  
nobis ómnia abúnde ad  
fruéndum ) bene ágere,  
dívites fieri in bonis opéri-  
bus, fácilè tribúete, com-  
municáre, thesaurizáre sibi  
fundaméntum bonum in fu-  
túrum, ut appréhéndant  
veram vitam. O Timóthee,  
depósitum custódi, devítans  
profánas vocum novitátes,  
& oppositiones falsi nómínis  
sciéntiæ, quam quidam  
promitténtes, circa fidem  
excidérunt. Grácia tecum.  
Amen.

IN II. NOCTURNO.  
LECTIO iv.

Ex Tractatu sancti Joannis Chrysostomi de Sacerdotio.

*Lib. 3. longè post initium.*

**D**um cōspicis Dōminus immolātūm, Sacerdōtem sacrificiō imcumbētēm, ac preces fundētēm; tum verò turbam circumfusam pretiōso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortāles versāri, atque in terra cōsistere censes? An non pótius ē vestigio in cōelos transfērris? an non carnis cogitationem ommem abjiciens, nudo ánimo, mente purā circūm spicis quae in cōelo sunt? O miraculum, ô Dei benignitatem; qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso tēporis articulo ómnium mānibus pertractātur, ac se ipse tradit volēntibus ipsum excipere ac complēcti.... Adeſt enim Sacēdos, non ignem mitrens, sed Spīritum sanctum: is preces diutūnas fundit, non quo flamma ccelitus delāpsa sacra appōsita absūmat: sed ut grātia in sacrificium influens, per illud ipsum ómnium ánimos inflāmet, & puriores reddat argēto igni exēcto purgatóque.

*LECTIO v. Paulō pōst.*

**S**i quis considerat quā tum id sit myſtērium, ut is sc̄ilicet qui homo ipse

sit, carne ac sānguīne étiam num constans, iisque involūtus, beātæ atque immortali natūræ illi fieri prōpior queat: tum probē intellīget quanto Sacerdōtes honore, quantā dignitatē Spīritū sancti grātia dignata fūerit: operantibus enim illis, tum sacra hēc quae dico, initiāntur perficiunturque: tum étiam ália his nihilo inferiōra, quae ipsa ad dignitatē salutisque nostrā ratōnem spectant. Etenim qui terram īcolunt atque in ea versāntur, iis commissum est, ut ea quae in cōelis sunt dispēnsent; iis datum est ut potestatēm hābeant, quam Deus óptimus neque Angelis, neque Archāngelis datam esse vōluit. Neque enim ad illos dictum est: (Quācūmque alligaveritatis in terra, erunt alligata & in cōelo: & quācūmque solvēritis in terra, erunt soluta & in cōelo.)

*LECTIO vi. Paulō pōst.*  
**H**i sunt quibus & concréditas sunt spirituāles parturīgines, & baptīsmatis partus à Deo est commissus: per hos ipsos Christum indūimus, unā cum Dei Filio sepelim̄ur: beāti illiū capitīs membra efficimur.... Illi autōres nobis sunt nativitatis ejus quām à Deo habēmus, beātæ regenerationis illiū, libertatīs veræ atque ádeo adoptatiōnis ejus, quā nos per grātiam filii Dei

sumus effécti. Córporis le-  
pram purgáre , seu vériū dicam , haud purgáre qui-  
dem , sed purgátos probáre ,  
Juditórum Sacerdótibus so-  
lis licébat : neque nescis  
quanta cum ambitione ,  
quanto cum stúdio ac con-  
certatióne Sacerdotális dí-  
gnitas id témporis acquire-  
rétur. At verò nostris Sa-  
cerdótibus non córporis le-  
pram , verùm ánimæ sor-  
des , non dico purgátas  
probáre , sed pugnare pror-  
sus concéssum est.

## IN III. NOCTURNO.

## LECTIO viij.

Lectio sancti Evangélii  
secundum Joannem.

Cap. 10. 1. ad 5.

**I**N illo témpore ; dixit  
Iesus Pharisæis : Amen ,  
amen dico vobis ; Qui non  
intrat per óstium in ovile  
óvium , sed ascéndit aliún-  
de , ille fur est & latio. Et  
réliqua.

Homilia sancti Augustíni  
Episcopi.

Serm. 137. de Verb. Evang.  
Joann. §. 4. Alias Serm.  
49. de Verb. Domini.

**Q**uis est qui intrat per  
jánuam ? Qui intrat  
per Christum. Quis  
est iste ? Qui imitátor Pas-  
sionem Christi , qui cognós-  
cit humilitatem Christi : ut  
cùm Deus factus sit homó  
pro nobis , cognoscat se  
homó non esse Deum , sed  
hominem. Qui enim vult

Deus vidéri , cùm sit homó ,  
non imitátor illum , qui cùm  
Deus esset , homo factus  
est. Tibi autem non dicitur :  
Esto aliquid minus , quám  
es : sed cognoscere quod es.  
Cognoscere te infirmum ,  
cognoscere te hominem ,  
cognoscere te peccatórem.  
Cognoscere quia ille justifi-  
cat , cognoscere quia macu-  
lósus es.

## LECTIO viij. §. 4. 5.

**Q**ui ergo se exáltant , per  
alteram partem volunt  
ascéndere ad ovile : qui au-  
tem se humiliant , per já-  
nuam intrant ad ovile. Ideo  
de illo dixit , ( intrat ; ) de  
illo , ( ascéndit. ) Qui ascen-  
dit , vidétis ; qui alta petit ,  
non intrat , sed cadit. Ille  
autem , qui se submittit ,  
ut per jánuam intret , non  
cadit , sed pastor est. Sed  
tres persónas dixit Dómi-  
nus , & debémus illas in-  
vestigare in Evangélio , pa-  
tóris , mercenárii , & furis.  
Cùm legeréatur , puto quod  
animadvertis , designávit  
pastórem , designávit mer-  
cenárium , designávit fu-  
rem. Pastórem dixit áni-  
mam suam pónere pro óvi-  
bus , & intrare per jánuam.  
Furem dixit latrónem al-  
céndere per áliam partem.

## LECTIO ix.

**M**erconárium dixit lu-  
pum vel etiā furem ,  
si videat , fugere ; quia non

est illi cura de óvibus : mercenarius est enim , non pastor. Ille intrat per jánuam , quia pastor est ; ille ascendit per áliam partem , quia fur est : ille videns eos qui volunt tollere oves , timet & fugit , quia mercenarius est , quia non est illi cura de óvibus : mercenarius est enim. Si invenérimus tres istas personas , invenit sanctitas vestra & quos diligatis , & quos toleratis , & quos cavetis. Diligendus est pastor , tolerandus est mercenarius , cavendus est latro.

A D L A U D E S ,  
CANTICUM. *Malach. c. 2.*

PActum meum fuit cum  
eo vitæ & pacis : \* & dedi  
ei timorem ; & timuit me , &  
à facie nōminis mei pavēbat.

Lex veritatis fuit in ore  
ejus , \* & iniquitas non est  
inventa in lábiis ejus :

In pace , & in æquitate  
ambulavit mecum , \* &  
multos avertit ab iniquitate.

Lábia enim sacerdótis cu-  
stodient scíentiam , & legem  
requirent ex ore ejus : \*  
quia Angelus Dómini exer-  
cituum est.

## D I E O C T A V A.

### I N III. NOCTURNO.

*LECTIO viij.*

Lectio sancti Evangélii se-  
cundum Lucam. c. 10.

**I**N illo tempore ; Designá-  
vit Dóminus & álios  
septuaginta duos ; & misit  
illos binos ante faciem suam ,  
in omnem civitatem & lo-  
cum , quò erat ipse venturus.  
Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii

Papæ.

*Homil. 17. in Evang. n. 3.*

**M**issis prædicatóribus  
quid Dóminus di-  
cat , audiámus. Me-  
sis quidem multa ; operári  
autem pauci : rogáte ergo  
Dóminum messis , ut mittat  
operários in messem suam.  
Ad messem multam operá-

rii pauci sunt ; quod sine  
gravi mœrore loqui non  
póssumus : quia , etsi sunt  
qui bona audiant , desunt  
tamen qui dicant. Ecce  
mundus sacerdótibus plenus  
est ; sed tamen in messe  
Dei rarus valde invenitur  
operátor ; quia officium  
quidem sacerdotiale suscipi-  
mus , sed opus officii non  
implémus. Sed pensate ,  
fratres caríssimi , pensate  
quod dicitur : Rogáte Dó-  
minum messis ut mittat  
operários in messem suam.  
Vos pro nobis pétite , ut  
digna in vobis operári va-  
leámus ; ne ab exhortatione  
lingua tórpeat ; ne post-  
quam prædicatiōnis locum  
suscepimus , apud justum

Jūdicem nostra nos tacitūr-  
nitas addicat.

## LECTIO viij.

**S**æpè enim pro sua ne-  
quitia , p̄ædicātūm  
lingua restrīngitur : Sæpè  
verò ex subiectōrum culpa  
ágitur , ut eis qui p̄æfunt  
p̄ædicationis sermo sub-  
trahātur. Ex sua quippe ne-  
quitia p̄ædicātūm lingua  
restrīngitur , sicut Psalmista  
ait : Peccatóri autem dixit  
Deus : Quare tu enarras  
justitiás meas ? Et rursùm  
**e**x vīto subiectōrum vox  
p̄ædicātūm subtrahit ,  
sicut ad Ezechiélem Dómi-  
nus dicit : Linguam tuam  
adhærēscere fáciam paláto  
tuo , & eris mutus , nec  
quasi vir objurgans ; quia  
domus exasperans est. Ac  
si apertè dicat : Idcirkò tibi  
p̄ædicationis sermo tolli-  
tur , quia dum me in suis  
actib⁹ plebs exasperat ,  
non est digna cui exhortatio  
veritatis fiat. Ex cujus ergo  
vīto p̄ædicatóri sermo sub-  
trahātur , non fácile co-  
gnoscitur ; quia verò Pas-  
tóris taciturnitas , aliquan-  
do sibi , semper autem sub-  
jectis , nōceat , certissimè  
scitur.

## LECTIO ix.

n. 83

**S**ed quid nos ( quod ta-  
men sine dolore dicere  
non possum ) quid nos , ô  
Pastóres , ágimus , qui &  
mercédem conséquimur ,  
& tamen operári nequá-  
quam sumus ? Fructus quip-  
pe sanctæ Ecclésiæ in sti-  
pendio quotidiano percipi-  
mus ; sed tamen pro æterna  
Ecclésia mínimè in p̄ædi-  
catione laborámus. Pensé-  
mus cujus damnationis sit ,  
sine labore hīc percipere  
mercédem labóris. Ecce in  
oblatione fidélium vivimus ;  
sed quid pro animábus fi-  
délium labóramus ? Illa in  
stipendium nostrum sumi-  
mus , quæ pro redimendis  
peccátis suis fidéles obtulé-  
runt ; nec tamen contra  
peccata éadem , vel oratiō-  
nis stúdio , vel p̄ædicationis ,  
ut dignum est , insu-  
dámus. Vix pro sua culpa  
quémpiam apertâ voce  
reprehéndimus. Et adhuc  
( quod grávius est ) ali-  
quando si persona in hoc  
mundo potens sit , ejus  
forsitan erráta laudámus ,  
ne si adversétur , per ira-  
cundiā munus subtrahat ,  
quod impendébat.



## DIE FESTO

PRO ABBATIBUS, MONACHIS,  
ET SOLITARIIS.

IN I. NOCTURNO.

*Pf.* Beatus vir. e I. Noct.  
*Dom.* *Pf.* Dómine, ne in  
 furore. *Fer.* ij. ad Complet.  
*Pf.* Exaudi, Dómine, justi-  
 tiam meam, integer, Sab-  
 bato ad Laudes.

*LECTIO i.*

De Epistola beati Pauli  
 Apóstoli ad Philippenses.

*Cap. 3.*

**F**ratres; Quæ mihi fué-  
 runt lucra, hæc ar-  
 bitratus sum propter  
 Christum detrimenta. Ve-  
 rūtamen exstimo ómnia  
 detrimentum esse, propter  
 eminentem scíentiam Jesu  
 Christi Dómini mei, prop-  
 ter quem ómnia detrimen-  
 tum feci, & ábitrator ut  
 stercora; ut Christum lu-  
 crifaciam, & invéniar in  
 illo, non habens meam  
 justitiam quæ ex lege est,  
 sed illam quæ ex fide est  
 Christi Jesu: quæ ex Deo  
 est justitia in fide ad cog-  
 noscendum illum, & virtu-  
 tem resurrectionis ejus, &  
 societatem passionum illius;  
 configuratus morti ejus, si  
 quo modo occurram ad re-  
 surrectionem quæ est ex  
 mortuis, non quod jam ac-

céperim, aut jam perfectus  
 sim: sequor autem, si quo  
 modo comprehendam, in  
 quo & comprehensus sum à  
 Christo Jesu.

*LECTIO ii.*

**F**ratres, ego me non  
 ábitrator comprehendis-  
 se. Unum autem, quæ qui-  
 dem retrò sunt oblisca-  
 sive, ad ea verò quæ sunt prióra  
 extendens meipsum, ad  
 destinatum pérscor, ad  
 bravium supernæ vocatio-  
 nis Dei in Christo Jesu.  
 Quicumque ergo perfecti  
 sumus, hoc sentiāmus:  
 & si quid áliter sapitis, &  
 hoc vobis Deus revelabit.  
 Verūtamen ad quod per-  
 vénimus, ut idem sapiā-  
 mus, & in eádem perma-  
 neámus régula.

*LECTIO iii.*

**F**ratitores mei estote;  
 fratres; & observáte eos  
 qui ita ámbulant, sicut ha-  
 bétis formam nostram.  
 Multi enim ámbulant, quos  
 sàpè dicébam vobis (nunc  
 autem & flens dico) inimí-  
 cos crucis Christi, quorum  
 finis intéritus, quorum  
 deus venter est, & glória  
 in confusione ipsorum, qui

terrēna sāpiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est.

### **I N II. N O C T U R N O.**

*Psf. Dóminus regit me. Fer v. ad Sextam. Psf. Júdica me, Dómine, quóniam. Fer. iij. ad Tert. Psf. Dóminus illuminatio. integer. Fer. v. ad Tert.*

### *LECTIO iv.*

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

*Homil. 69. in Matth.*

**I**N mentem véniat memória Sanctórum, qui cílico induuntur, erénum hábitant, qui nunquam oblatas púrpuras acceptárent; sed quemádmodum rex, si quis pannósa indumenta páuperis induenda offerret, abominarétur atque repélleter, non áliter illi régiam púrpuram contemnunt. Hæc illis instituta cíliciorum usu confirmáta sunt; unde régibus ipsis excellentiores sunt atque præstantiores. Nam si posse mentis eorum atque ánnimi jānuas reserare, & nudas cogitationes eorum, & omnem interiorem ornatum confícere, fulgóre percussus in terram concíderes; nec illárum véstium splendórem, nec consciétiæ lucem perferte posse.

### *LECTIO v.*

**N**ihil ergo in tabernáculis eorum triste inveniétis; sed tanquam in cœlo tugúria fabricáti, sic

longè à séculi perturbatiōnibus hábitant, adversus diabolum militantes, & cum lætitia eum expugnantes. Idcirco enim in solitudine domicilium constituérunt, civitatibus & célebri habitatiōne hóminum omnínō relictā; quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedere; sed neceſſe est, quasi súbito migratūrus, præparato in diem domicilio hábitet. Quis unquam in exércitu domus fundamenta jecit? Quis ædes ædificat, cùm inde paulò pòst discessurus sit? Quis in castris agri jūgera emit? Nullus certè. In pátria hæc, non in castris, facienda sunt.

### *LECTIO vi.*

**H**Æc tibi à me similiter dicuntur. Cùm in suprémam civitatem perveneris, tunc ista fáctio: imò verò nullo labore opus ibi est, cùm universa hæc à Rege tibi præparata sint. Hic ígitur satis est nobis fossam fáccere, vallum figere: ædificiorum constructiōne opus non est. Christiános adversus diabolum pugnantes; captivos à manib[us] ejus rapiētes, omnibus temporálibus neglectis, vivere oportet. Cur itaque magnificas ædes struis, ô homo? An ut te ipsum magis víncias? Cur thesaurum óbruīs? Ut diabolum adversus animam

tuam invites? Cur incenia condis? An ad cárceres tibi construendos? Quod si hæc tibi difficultia neglectu videantur, ad tabernacula Monachorum proficiscamur, ut reipsa facile ista contemni posse perdiscas. Tuguria sibi constituant; quæ si relinquere oportebit, ita facile faciunt, sicut milites castra.

## IN III. NOCTURNO.

*Ps.* Dixi: Custódiam. integer. *Fer. v.* ad Complet. *Ps.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Fer. vij.* ad Offic. *Noct.* *Ps.* Quam dilecta. *Fer. v.* ad Tert.

## LECTIO viij.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

## Cap. 19.

IN illo tempore; respondens Petrus dixit Iesu: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia sancti Paulini Episcopi.

*Epiſt. 24. ad Sulpit. Sever.* alias 2. §. 5. 6.

B Ona quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, hæc poteramus efferre, quasi mutuata reddidimus; nec ut cutem à carne distraximus, sed ut vestem à corpore deposuimus. Nunc opus est, ut quæ verè nostra sunt, dependamus Deo,

hoc est, cor & animam, & corpora nostra exhibentes in hostiam vivam, ut scriptum est, Dómino; nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum, in ipso lapide angulári, qui nobis sanctificationis nostræ formulam in semetipso dedit, & ait: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Quæ igitur nobis grátia, si in alieno tantum fidèles fuérimus, nisi de proprio serviámus, id est, de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde nostro, ex totis animæ nostræ, ut scriptum est, viribus diligentes Deum?

## LECTIO viii. §. 7. 8.

Q Uamobrem temporaliū quæ in hoc século habentur bonorum relíctio, sive distractio; non decursus stadii, sed ingressus; nec ut meta, sed ut jānua est. Non enim athléta tūm vincit, cum exiatur; qui ideo nudatur, ut incipiat dimicare, cum legítimè certáverit coronandus. Et natator amnem interpositum superatūrus, exiutur; nec tamen hoc tantò apparatu quod se despoliáverit, transnatabit, nisi totius corporis nisu torrentis impetum scindat, & laborem natationis exhauriat. Vídeo & in Jacob hujus expeditiōnis ordinem prolusisse; cum illum lego, postequam torrente trans-

missō, præmissis curárum  
suárum onéribus, id est,  
facultátum & necessitádi-  
num impedimentis, solus in  
tabernáculi loco remánse-  
rat, Deo colluctátum.

## LECTIO ix.

**I**Taque ad corripiendam  
vitæ viam, capiendum  
que Dei verbum, & præ-  
valendum in regnum cœ-  
lórum, quod à diébus Joani-  
nis vim pátitur, & à diri-  
piéntibus obtinétur, idónei  
esse non póssumus, nisi  
ómnia quæ vel amóre, vel  
curá, si in itinere istius sé-  
culi nobis adhærent, im-  
peditunt & retardant, ante  
óbítus nostri vésperam præ-  
mittámus, & inde per totam  
hujus séculi noctem appre-  
hendere, & tenére Chrif-  
tum sollícitâ spiritálium  
óperum ac studiorum con-  
tentíone luctémur: nec di-  
vellámur à caritaté Chrif-  
ti, sicut Jacob ab ejus am-  
plexu, nisi extorqueámus  
benedictiónem. Atque úti-  
nam ad salutáris insigne

luctámīnis, nervum fémoris nostri majestatis suæ ti-  
móre percúiat; quo ob-  
stupescénte, infirmábitur  
virtus carnis, & spiritális  
grácia convalescet!

AD LAUDES.  
CANTICUM. Thren. 3.

**P**Ars mea Dóminus,  
dixit áima mea: \*  
proptéreà expectábō eum.  
Bonus est Dóminus spé-  
rántibus in eum, \* ánimæ  
quærenti illum.

Bonum est præstolári  
cum siléntio \* salutáte Dei.

Bonum est viro, \* cùm  
portáverit jugum ab ado-  
lescéntia sua.

Sedébit solitárius, & ta-  
cébit, \* quia levávit su-  
per sé.

AD VESPERAS.  
Psalmi, Dixit. è Dom.  
Levávi. Fer. ij. ad Vesp.  
Ad te levávi oculos. Fer.  
iv. ad Vesper. Qui confi-  
dunt. Ibid. Voce meâ. Fer.  
ijj. ad Vesp.



## D I E O C T A V A.

IN III. NOCTURNO.

*Lectio vij.*Léctio sancti Evangélii se-  
cundum Matthæum.*Cap. 19.*

**I**N illo tempore ; Dixit Jesus adolescenti : Si vis perfectus esse , vade , vende quæ habes , & da paupéribus , & habébis thesaurum in cœlo ; & veni , séquere me. Et réliqua.

Homilia sancti Joannis  
Chrysostomi.*Hml. 64. in Matth.  
post initium.*

**A**ntequam Jesus ado-  
lescenti certámen &  
labórem osténderet ,  
bravíum præ oculis pósuit ,  
dicens : Si vis perfectus  
esse ; actum infert : Vende  
ómnia quæ habes , & da  
paupéribus. Et mox íterum  
præmia inculcat : Et habé-  
bis thesaurum in cœlo ; &  
veni , séquere me. Magna  
enim retribúto est Dómi-  
num sequi. Et habébis , in-  
quit , thesaurum in cœlo.  
Nam quóniam magna illi cu-  
rade pecúniis erat , & quan-  
dóquidem ipsi cunctis de-  
nudári rebus consílium da-  
bat , ut ostendat non amis-  
súrum bona sua , sed tanto  
plura majóraque inventí-  
rum , quanto cœlum terrâ  
præstabilius est , restitutió-

nis præstántiam thesaurum  
appellávit , & simul stabi-  
litátem atque incorruptibi-  
litátem præmii , ut fieri pô-  
terat per res humánas ex-  
preßit. Non ergo satis est  
pecúniam spérnere ; verùm  
étiam oportet páuperes nu-  
trire , & ante ómnia Chris-  
tum sequi , id est , ómnia  
præstare quæ ab ipso ju-  
bentur ; paratumque sem-  
per esse tam labóres subire ,  
quám omne genus mortis  
sufferre. Si quis enim , in-  
quit , venire post me velit ,  
ágneget semetipsum , tol-  
latque crucem suam , & se-  
quátur me.

*Lectio viij.*

**H**Æc cùm audíset ado-  
lescens , ábiit tristis.  
Quod non absque causa  
illi accidisse significávit E-  
vangelista , dicens ; Habé-  
bat enim multas possessio-  
nes. Non eódem quippe  
modo detinentur qui pauca  
póssident , & qui magnâ  
retum cópiâ submerguntur ; tunc enim violentior  
fit ipsorum cupiditas. Nec  
unquam prædicare cessábo  
quod accéssio divitiárum  
majórem accendit flam-  
mam ; & eos qui póssident ,  
pauperiores reddit , quan-  
dóquidem eos in plúribus  
constítuit cupiditatibus ,

efficitque ut indigentiam magis sentiant. Perspice igitur quanta vis sit talis affectus. Cum magnâ dives iste letitiâ Christum adiisset, ita suffosus atque obtritus fuit, ut nec respondere quidem potuerit, sed tristis ac modestiâ pressus decéserit. Quid igitur Christus? Difficile, inquit, in regnum cœlorum dñites intrabunt. Quibus verbis, non pecuniâ, sed pecuniâ detentos carpit. Cur autem discipulis adeò pauperibus, ut nihil prorsus habérent, hæc dicit? Sanè ut eos erudit, ne pudori paupertatem sibi ducerent; & quasi respondeat cur nihil illos habere permiserit.

### *Lectio ix.*

**D**iscipulis perturbatis, Hoc apud homines, inquit, impossibile est; Deo autem omnia possibilia sunt. Et cuius rei gratiâ discipuli qui nimium inopes erant, turbabantur? Quia propter perditionem aliorum dolabant, quorum omnium jam caritate afficiebantur, & quasi magistrorum ac patrum viscera suscéperant. Sic enim pro universo terrarum orbe hujus sententiæ acrimoniâ expavérunt, ut non parvâ eis consolatione opus fuerit. Hac de causâ inspiciens eos, prius dixit: Quæ apud homines impossibilia

sunt. Quod si dicta hæc ab ipso sunt, ut virtutis præ oculis magnitudo ponatur, ex his quæ sequuntur perpendes. Nam cum Petrus rogavit: Ecce nos, relictis omnibus, secuti sumus te; quid ergo erit nobis? Mercede illius prius definitâ, subjunxit: Et quicumque reliquerit domos, vel agros, vel fratres, vel patrem, vel matrem, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidet. Ita quod impossibile erat, possibile factum esse videmus. Véniat tibi in mentem qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis Joannes, qualis Elías: vel pótius ipsius unigeniti Dei Filii recordare, qui non habebat ubi caput reclinaret. Quod si paululum respéxeris, ac rursus tibi quasi in naufragio procella incubuerit, tenebras afferens; hanc Christi sententiam tecum illico versa, repeteque sapitis quod impossibile sit ad cœlum dñitem pervenire. Ad hanc tu sententiam, montes, terram, maria conferas, ac omnia, si ita vis, cogitatione aurum facito, ac te habere fingito; nihil exequari poterit damnatio quod inde patieris. Hæc igitur cogitantes, æmulémur ea quæ nostrâ digna sunt æmulatione; non magnificas ædes, non uberrima

ptædia; non cétera hujusmodi habentes, sed eos qui magnam apud Deum fiduciam consecuti sunt; qui divitias ingentes in cœlo possident, quorum the-

sauri ibi reservantur, qui paupertatem longo divitiis intervallo præponentes, verè dívites sunt. Hujusmodi sunt omnes propter Christum páuperes.

D I E F E S T O  
P R O J U S T I S.

## I N I. N O C T U R N O.

*Psf.* Beatus vir. è I. Noct.  
*Dom.* *Psf.* Quare fremuerunt. è I. Noct. *Dom.* *Psf.* Verba mea. *Fer.* iv. ad Laudes.

## LECTIO i.

De libro Sapiéntiæ. cap. 4. **J**ustus si morte præoccupatus fuerit, in refregorio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutarer intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstancia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi, explévit tempora multa: plácita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de médio iniquitatum.

## LECTIO ii.

**P**Opui autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis tália; quóniam grátia Dei, & misericórdia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, & juventus celestius consummata longam vitam injusti. Vidébunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitáverit de illo Deus, & quare munierit illum Dóminus. Vidébunt, & contemnent eum: illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc occidentes sine honore & in contumélia, inter mórtuos in perpétuum; quóniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovébit illos à fundamentis: & usque ad suprénum desolabuntur.

LECTIO iii. cap. 4. & 5. **E**t erunt gementes, & memória illorū peribit. Vénient in cogitatione peccatorū suorum timidi, & tra-

dūcent illos ex adverso ini-  
quitātes ipsōrum. Tunc sta-  
bunt justi in magna con-  
tāptia adversus eos qui se  
angustiavérunt, & qui abs-  
tulerunt labōres eōrum. Vi-  
dentes turbabuntur timore  
horribili, & mirabuntur in  
subitatione insperatæ salu-  
tis, dicentes intrà se, pœ-  
nitētiā agentes, & præ  
angustia sp̄iritūs gementes:  
Hi sunt quos habuimus  
aliquandò in derisum, &  
in similitūdinem impropé-  
rii. Nos insensati vitam illórum  
estimabámus insá-  
niam, & finem illórum sine  
honore. Ecce quómodò  
computati sunt inter filios  
Dei, & inter sanctos sors  
illórum est!

## IN II. NOCTURNO.

*Ps.* Dómine, quis habi-  
tabit. *Fer.* iij. ad Off. Noct.  
*Ps.* Dómini est terra. *Fer.*  
iij. ad Laudes. *Ps.* Júdica  
me, Dómine, quóniam.  
*Fer.* iij. ad Tert.

## LECTIO iv.

Ex libro Morálium sancti  
Gregorii Papæ.

*Lib.* 10. *cap.* 16.

**D**eridetur justi simplicitas. Hujus mundi  
sapiēntia est cor ma-  
chinatiōibus tégere, sen-  
sum verbis velare; quæ  
falsa sunt, vera ostendere;  
quæ vera sunt, falsa de-  
monstrare. Hæc nimírum  
prudēntia usu à juvénibus  
scitur: hæc à pueris prétio  
discitur: hanc qui sciunt,

ceteros despiciendo supér-  
biunt: hanc qui nésciunt,  
subjecti & timidi in áliis  
mirantur; quia ab eis hæc  
éadem duplicitas iniquitatis  
nōmīne palliata diligitur,  
dum mentis perversitas ur-  
bánitas vocatur. Hæc sibi  
obsequētibus præcipit ho-  
nōrum cūlmina querere;  
adeptā temporális glória  
vanitatem gaudere, irrogata  
ab áliis mala multiplicius  
reddere; cùm vires suppe-  
tunt, nullis resistētibus  
cédere; cùm virtutis possi-  
bilitas deest, quidquid ex-  
plēre per malitiam non va-  
lent, hoc in pacifica boni-  
tate simulare.

## LECTIO v.

**A**t contrà, sapiēntia  
justorum est nihil per  
ostensionem fingere, sen-  
sum verbis aperire, vera  
ut sunt diligere, falsa de-  
vitare; bona gratis exhibe-  
re, mala libentius tolerare,  
quæm facere; nullam in-  
juriæ ultionem querere,  
pro veritate contumeliam  
lucrum putare. Sed hæc  
justorum simplicitas deri-  
dētur; quia ab hujs mundi  
sapiēntibus puritatis vir-  
tus fatuus creditur. Omne  
enim quod innocenter agi-  
tur, ab eis procul dūbio  
stultum putatur; & quidquid in opere véritas ap-  
probatur, carnali sapiēntia  
fatuum sonat. Quid nam-  
que stultius videtur mun-  
do, quæm mentem verbis  
ostendere,

ostendere , nil callidâ machinatione simulare , nullas injuriis contumelias redere , pro maledicentibus orare , paupertatem querere , possessa relinquere , rapienti non resistere , percutienti maxillam alteram præbere ?

*Lectio vij. Post pauca.*

**Q**UÆ nimirūm justi sim plícitas bréviter sed sufficienter exprimitur , cùm prótinus subinfertur , Lampas contempta apud cogitationes dicitur. Sæpe namque contingit , ut electus quisque qui ad externam felicitatem ducitur , continuâ hic adversitate deprimatur , iron hunc rerum abundântia fulciat , non dignitatum gloria honorabilem ostendat , nulla ei obsequentiū frequētia suspetat , nulla hunc humánis oculis vestium pompa compónat. A cunctis vero despicabilis cernitur , & hujus mundi gloriâ indignus estimatur ; sed tamen ante occulti Júdices oculos virtutibus émicat , vita meritis coruscat. Honorari mérituit , despici non refugit : corpus continétiá afficit , solâ in ánimo dilectione pinguescit : mentem semper ad patientiam preparat , & erectus pro justitia de perceptis contumelius exultat : afflictis ex APPA.

corde compátitur ; de bonorum prosperitatibus quasi de propriis lætatur : sacri verbi pábula in mente sollicitus ruminat ; & inquisitus quodlibet eloqui duplíciter ignorat.

*In III. nocturno.*

*Pf. Exaudi , Deus , orationem. Sabb. ad Off. Noct.*

*Pf. Bonum est confitéri.*

*Fer. ij. ad Laudes. Pf. Dó-*

*minus regnávit ; exultet.*

*Fer. iij ad Laudes.*

*Lectio viij.*

*Lectio sancti Evangélii secundum Lucam.*

*Cap. 12.*

**I**N illo tempore ; Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri præcincti , & lucernæ ardentes in manib⁹ vestris. Et reliqua.

*Homilia sancti Gregorii Papæ.*

*In Evang. Homil. 13.*

**D**ominus dicit : Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcincimus , cùm carnis luxuriam per continétiā coarctámus. Sed quia minus est mala non agere , nisi etiam quisque studeat & bonis opéribus insudare , prótinus additur : Et lucernæ ardentes in manib⁹ vestris. Lucernas quippe ardentes in manib⁹ tenémus , cum per bona opera próximis nostris lucis exempla mons-

*I*

tramus. De quibus profecto  
opribus Dóminus dicit : Luceat lux vestra coram homínibus, ut videant ópera vestra bona , & gloríficent Patrem vestrum , qui in cœlis est. Duo autem sunt quæ jubentur , & lumbos restringere , & lucernas tenere ; ut & munditia sit castitatis in corpore , & lumen veritatis in operatioñe. Redemptori étenim nostro unum sine altero placere nequáquam potest ; si aut is qui bona agit , adhuc luxúriæ inquinamenta non déserit ; aut is qui castitate præminet , necedum se per bona ópera exercet.

## LECTIO viij.

**N**ec castitas ergo magna est sine bono ópere ; nec opus bonum est aliquid sine castitate. Sed & si utrumque ágitur , restat ut quisquis ille est , spe ad supernam pátriam tendat , & nequáquam se à vitiis pro mundi hujus honestate contineat. Qui etsi quædam bona aliquando pro honestate inchoat , in ejus tamen intentione non debet permanere , nec per bona ópera præsentis mundi glóriam querere ; sed totam spem in Redemptoris sui adventum constituat. Unde & protinus subditur : Et vos símiles homínibus expectantibus dómimum suum ,

quando revertátur à nuptiis. Ad nuptias quippe Dóminus ábiit ; quia resurgens à mortuis , ascendens in cœlum , supernam sibi Angelorum multitudinem novus homo copulávit. Qui tunc revertitur , cùm nobis jam per judicium manifestatur.

## LECTIO ix.

**B**ene autem de servis expectantibus subditur : Ut , cùm vénérerit & pulsaverit , confestim apérant ei. Venit Dóminus , cùm ad judicium prôperat : pulsat verò , cùm jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat. Cui confestim aperimus , si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult , qui exire de corpore trépidat ; & videre eum , quem contempisse se méminit , iudicem fómidat. Qui autem de sua spe & operatioñe securus est , pulsanti confestim áperit , quia latus iudicem sustinet ; & cùm tempus propinquæ mortis advenerit , de glória retributioñis hilarescit.

AD LAUDES.  
CANTICUM. Eccl. 2.

**Q**ui timétis Dóminum , crédite illi ; \* & non evanescit merces vestra. Qui timétis Dóminum , speráte in illum ; \* & in

oblectatiōnem vēnet vobis misericordia.

Qui timētis Dōminum, diligite illum ; \* & illuminabuntur corda vestra.

Respicite, filii, natiōnes hōminum ; \* & scitōte quia nullus sperāvit in Dōmino, & confūsus est.

Quis enim permanisit in mandatīs ejus, & derelictus est ? \* aut quis invocāvit eum, & despexit illum ?

Quóniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulatiōnis, peccata ; \* & protector est omnibus exquirēntibus se in veritatē.

## AD VESPERAS.

*Psalmi.* Dixit. è Dom. Beatus vir. Ibidem. Laudate, pueri. Ibid. Qui confidunt. è Vesp. Fer. iv. Domine, non est exaltatum. Ibid.

## DIE OCTAVA.

## IN III. NOCTURNO.

*LECTIO vij.*

Lectio sancti Evangeliī secundūm Lucam. c. 12.

IN illo tempore ; Dixit Iesu discipulis suis : Nolite timere, pusillus gressus ; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologī.

*Serm. 22.*

Discipulis suis Christus regnum ponit in præmio ; ut in certāmine non cedant periculis, non timori. Pericula despiciunt qui tendit ad regnum : victoriæ cupidus nescit timere. Nolite timere, inquit, pusillus gressus ; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Adjicit quid faciendum sit regnatūris. Vendite quæ possidētis, & date

eleemosynam. Non potest dominari omnibus, nisi is qui propriis non tenetur : dejectus mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum.

*LECTIO viii.* Post pauca.

Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficiētem in celo. Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non audare : manere tibi tua voluit, non perire : perpetuari, non vacuari sacculos imperavit : jussisse transferre, non perdere. O homo, si hic permanērūs es, quæ tua sunt hic repone : si illuc iturus es, hic quæ tua sunt cur derelinquis ? Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Præmitte thesaurum tuum in celos, ne cœlestem animam demergas

in terram. Aurum de profundis terræ, anima ab excelsis cœli: melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum, quam in sepulcro auri anima demergatur. Exutus ergo totis divitiarum curis, & jam per omnia expeditos, militare sibi in seculo jubet, quos regnare donavit in cœlo.

*LECTIO ix. Serm. 23.*

**C**ontristatus es, quia quod habes, in cœlis coggeris collocare. Rogo,

crede Deo tuo, qui servos credis, & magis Deo quam homini commenda. Sed si times, ne quid inde præsumat, ne quid disperget pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos; ut tali custode dormias sic securus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est fur. Non poterit tibi pecuniam tuam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regni sui honore ditavit & gloriâ.

### DIE FESTO

### *PRO VIRGINIBUS.*

#### *IN I. NOCTURNO.*

*Pſ. Dómine Dóminus noster. Fer. ij ad Primam.*  
*Pſ. Cœli enarrant. integer.*  
*Fer. iiiij. ad Officium Noct.*  
*Pſ. Dómini est terra. Fer. iiiij.*  
*ad Laudes.*

*LECTIO j.*

De Epistola prima beati Pauli Apóstoli ad Corinthios. cap. 7.

**D**e virginibus præcepimus: Dómini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiæ consecutus à Dómino, ut sim fidélis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quóniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? Noli

quærere solutionem. Solitus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem accéperis uxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est. Réliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi,

## LECTIO ij.

**V**OLO autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Dómini sunt, quomodo pláceat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo pláceat uxori; & divílus est. Et mulier innupta & virgo cōgitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta corpore & sp̄itu. Quæ autem nupta est, cōgitat quæ sunt mundi, quomodo pláceat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico; non ut láqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dóminum obserandi.

## LECTIO iij.

**S**I quis autem turpem se vidéri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat; non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tan-

tum in Dómino. Fératior autem erit si sic permánserit, secundum meum consilium. Puto autem quod & ego Spíritum Dei hâbeam.

## IN II. NOCTURNO.

*Psf. Eructávit. integer,*  
*Sabb. ad Tert. Psf. Deus*  
*noster refugium. Sabb. ad*  
*Sext. Psf. Magnus Dómi-*  
*nus. Sabb. ad Sext.*

## LECTIO iv.

Ex Libro sancti Cypriani Episcopi & Mártyris, de disciplina & hábitu Vírginum.

*Pauld post initium.*

**N**unc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quod sublimior gloria est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum gratiæ spiritális, lāta índoles, laudis & honóris opus integrum atque incorruptum, Dei imágō respondens ad sanctimoniā Dómini, illústrior pórto gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lāgiter floret Ecclésia matris gloriósa fœcünditas: quantóque plus copiosa virginitas número suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.

## LECTIO v.

**A**D has lóquimur, has adhortámur affectione pótius quam potestate: non quod extrémi & mímini, & humilitatis nostræ ámo-

dum cōscii , áliquid ad censūram licentiae vindicēmus ; sed quod ad sollicitudinem magis cauti , plus de diaboli infestatiōne timēamus . Neque ināuis hæc cāutio est , & vana formido , quæ ad salutis viam cōsulit , quæ Domīnica & vitalia præcepta custodit ; ut quæ se Christo dicavērint , & à carnali concupiscentia recedentes , tām carne , quām mente se Deo vōverint , consummēt opus suum magno p̄m̄ destinātum : nec ornari jam , aut placere cuīquam , nisi Dōmino suo , studeant ; à quo & mercēdem virginitatis expectant , dicente ipso : Non omnes cāpiunt verbum , sed illi quibus datum est .

*Lectio vij.*

**D**enuò quoque per hanc Angeli vocem conti-nētiæ munus ostenditur , virginitas prædicatur . Hi sunt , inquit , qui cum mulieribus se non coinqui-naverunt ; virgines enim permanērunt : hi sunt qui sequuntur Agnum quocumque ierit . Neque enim tantum māsculis continētiæ grātiā Dōminus reprobrit , & féminas præterit : sed quóniam fémina viri pōrtio est , & ex eo sumpta atque formata est ; in Scripturis ferè omnibus ad protoplastum Deus lóquitur ,

quia sunt duo in carnē una ; & in māsculo simul signifi-cātur & fémina . Quod si Christum continētia séquit-ur , & regno Dei virginitas destinātur ; quid est illis cum terrēno cultu & cum ornamentiis , quibus dum hominibus placere gēstunt , Deum offendunt ?

*IN III. NOCTURNO.*

*Pf.* Cantāte Dōmino.... cantāte . *Fer.* ij. ad Tert. *Pf.* Dōminus regnāvit ; exalte . *Fer.* iii. ad Laudes . *Pf.* Cantāte Dōmino.... quia . *Fer.* ij. ad Sext.

*Lectio vij.*

Lēctio sancti Evangēlii secundūm Mattheam .

*Cap. 25.*

**I**N illo tempore ; Dixit Iesu discipulis suis parabolam hanc : Simile erit regnum cœlorum decem virginibus , quæ accipiēntes lámpades suas exierunt óbviā sponso & sponsæ . Et reliqua .

Homilia sancti Gregorii Papæ .

*In Evang. Homil. 12.*

**O**MNES lámpades ha-bent , sed omnes óleum non habent ; quia plerumquæ bona in se ópera cum elestis & réprobi ostendunt : sed soli ad spon-sum cum óleo véniant ; qui de his quæ foris égerint , intus gloriā requirunt . Unde per Psalmistam quoque de sancta Electōrum

**E**cclésia dicitur : Omnis glória ejus filiae Regis ab intus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt ; quia dum venire Iudex ad extrémum iudicium differt, electi & réprobi in mortis somno sopiuntur.

*Lectio viii. Post pauca.*

**D**e adventu sponsi clauditur in media nocte ; quia sic dies iudicij surrépit, ut prævideri non valeret quando venit. Unde scriptum est : Dies Domini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes Vírgines surgunt ; quia & electi & réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant ; quia sua secum opera númerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem expectant. Sed lámpades satuarum Vírginum extinguuntur ; quia eárum opera quæ clara homínibus foris apparuerunt, in adventu Júdicis intus obscurantur ; & à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis receperunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

*Lectio ix.*

**Q**uid est autem quod tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quod in adventu Júdicis, cùm se intus vácias invénerint,

testimónium foris querunt ? Sed prudentes Virgines respondent, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite pótius ad vendentes, & émitte vobis. Sed dum irent emere, venit sponsus ; qua autem paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias : & clausa est jánua. O ! si sapere in corde palato possis, quid admiratiōis habet quod dicitur, Venit sponsus ? quid dulcēdinis , Intraverunt cum eo ad nuptias ? quid amaritudinis , Et clausa est jánua ? Tunc regni jánua lugētibus claudetur, quæ modò quotidiè pœnitētibus aperitur : erit namque & tunc pœnitētia ; sed fructuosa jam non erit, quia nequāquam tunc véniam invenit, qui modò aptum véniae tempus perdit.

---

AD LAUDES.

CANTICUM. *If. 61.*

**G**AUDENS gaudébo in Dómino, \* & exultabit anima mea in Deo meo ;

Quia induit me vestimentis salutis, \* & indumento justitiae circumdedit me,

Quasi sponsum decoratum corónâ, \* & quasi sponsam ornátam monilibus suis.

Sicut enim terra profert germe suum, \* & sicut hortus semen suum géminat;

Sic Dóminus Deus germinabit iustitiam, \* & laudem coram universis gentibus.

AD VESPERAS.  
Psalmi de Officio parvo  
B. M. V.

## DIE OCTAVA.

IN III. NOCTURNO.

*Lectio vii.*

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum. c. 19.

**I**N illo tempore; Venit Jesus in fines Iudææ trans Jordánem: & secúræ sunt eum turbæ multæ, & curávit eos ibi. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

*In Matth. 63.*

**C**hristus, quia ad virginitatem hortari grave esse videbatur, à necessitate legis de non solo vendo matrimonio ad cupiditatem virginitatis trahere studet. Deinde ut eam esse possibilem ostendat, dixit: Sunt eunuchi qui ex ventre matris sic nati sunt, & sunt qui ab hominibus eunuchi facti sunt, & sunt qui seipso eunuchos fecerunt propter regnum cœlorum. Quibus omnibus, latenter ipsos ad eligendam virginitatem inducit, dum eam virtutem esse possibilem astruit. Cum autem dicit, Qui seipso eunuchos fecerunt, non de abscissione membrorum di-

cit; sed pravarum mentis cogitationum interemptiōnem intelligit. Nam qui membris incidit, maledictioni subjectus est, ut Paulus ait: Utinam & absindantur qui vos conturbant!

*Lectio viii. Post pauca.*

**C**ontinentia enim mentis facit ut motus naturales nullum afférant animæ detrimentum. Cum igitur eodem modo dixerit de illis eunuchis, qui nisi etiam ipsi mente se continant, frustra & inutiliter tales sunt, ac de illis qui ut regnum cœlorum consequantur, se continent; subiunxit rursum, dicens: Qui potest capere, capiat. Scilicet, ut alacriores efficiat eo ipso quod grave esse opus ostendit. Noluitque eam rem intrà necessitatem legis concidere, & id quidem per ineffabilem benignitatem suam. Idque dicendo, adhuc magis demonstrat rem illam esse possibilem; ut eo amplius ipsam eligendi desiderium in voluntate gignatur.

## LECTIO ix.

**S**ed si elecciónis istud est, inquies, quómodo ántea dixit: Non omnes cípiunt, sed quibus datum est? Scílicet ut discas id esse magnum certámen, non sorte datam necessitátem: illud enim voléntibus datum est. Quod ídeò dixit, ut osténderet superiore nobis auxílio opus esse (quod quidem ómnibus illud peténtibus parátum est,) si vólamus in hac

luctatióne superiòres evádere. Mos enim ipsi erat sic loqui, quandocunque res árdua proponebátur; velut cùm dicebat: Vobis datum est nosse mystéria. Et hoc ita esse præsens locus manifestat. Nam si supernæ tantum donatiónis istud est, ac nihil confrerunt qui virginitátem profítentur, supérfluè ipfis regnum cœlorum pollicitus est.

## DIE FESTO

## PRO SANCTIS MULIERIBUS.

IN I. NOCTURNO.

*Psf. Cœli enarrant. integr. Fer. iiiij. ad Off. Noct.*  
*Psf. Dóminus regit me. Fer.*  
*v. ad Sext. Ps. Ad te, Dómine, clamábo. è III. Noct.*  
*Dom.*

## LECTIO i.

De Parabolis Salomónis.

*Cap. 31.*

**M**ulierem fortem quis invéniet? Procul & de fúltimis finibus prétium ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsivit lanam & linum, & operáta est consilio mánuum suarum. Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedit-

que prædam domésticis suis, & cibária ancillis suis. Considerávit agrum, & emit eum: de fructu mánuum suarum plantávit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborávit bráchium suum.

## LECTIO ii.

**G**ustávit, & vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguitur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, & dígití ejus apprehendérunt fúlsum. Manum suam apéravit inopi, & palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis; omnes enim doméstici ejus vestiti sunt duplicitibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus & púrpura indumentum ejus. Nō-

bilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Sindonem fecit, & vénidit; & cíngulum trá-didit Chananae.

## LECTIO iii.

**F**Ortitudo & decor indu-  
mentum ejus, & ridébit  
in die novissimo. Os suum  
apéruit sapiéntiae, & lex  
cleméntiae in lingua ejus.  
Considerávit sémitas domus  
sux, & panem otiósa non  
comédit. Surrexérunt filii  
ejus, & beatissimam præ-  
dicavérunt; vir ejus, &  
laudávit eam. Multæ filiae  
congregavérunt divítias;  
tu supergressa es universas.  
Fallax grátia, & vana est  
pulchritudo; mulier timens  
Dóminum ipsa laudábitur.  
Date ei de fructu mánuum  
suárum, & laudent eam in  
portis ópera ejus.

## IN II. NOCTURNO.

*Ps. Exaltábo te, Dómine.  
è iiiij. Noct. Dom. Ps. Dixi:  
Custódiam. integer. Fer. v.  
ad Complet. Ps. Quid glo-  
riáris. Fer. vij. ad Offic.  
Noct.*

## LECTIO iv.

Sermo sancti Augustini  
Episcopi.

*Lib. de ver. Relig. c. 41.*

**V**Incámus cupiditátes,  
vel blanditiás, vel  
molestias, si viri  
sumus. Nobis dúcibus &  
ipsa erit mélior; nec jam  
cupíditas, sed temperántia  
nominábitur. Nam cùm ip-  
sa ducit, nos autem séqui-

mur, cupíditas illa & libido, nos verò teméritas & stultitia nuncupámur. Hoc & féminis præcipi potest, non maritáli, sed fraterno  
jure; quo jure in Christo,  
nec másculus, nec fémina  
sumus. Habent enim illæ  
virile quiddam unde fémi-  
neas subjugent voluptates,  
unde Christo sérviant, &  
ímperten t cupiditati.

## LECTIO v.

*Serm. 59. de diversis.*  
**T**Res vitæ sunt in Ecclesia:  
membrorum Christi:  
conjugális, viduális, vir-  
ginális. Quia ipsæ vitæ,  
ipsæ pudicitiae futuræ erant  
in sanctis membris Christi,  
omnes istæ vitæ tres at-  
tératæ sunt Christum. Prima  
conjugális. Quando María  
virgo cóncepit, Elizabeth  
uxor Zachariæ & ipsa con-  
céperat. Hujus iúdicis præ-  
cónem ferebat in útero.  
Venit ad eam sancta María  
tanquam ad cognátam suam  
salutandam. Exultávit in-  
fans in útero Elizabeth.  
Ille exultávit, illa prophe-  
tavit. Habes attéstantem  
pudicitiam conjugálem. Ubi  
viduális? In Anna. Audistis  
quod esset sancta Prophé-  
tissa, vídua octoginta &  
quátuor annórum, quæ  
septem annis víxerat cum  
viro suo, frequentans tem-  
plum Dómini, sérviens in  
orationibus nocte & die.  
Et ipsa vídua agnóvit  
Christum: vedit parvum,

agnovit magnum, & ipsa attestata est. Habes & in ista vitam vidualem, in Maria virginalem.

## LECTIO vi.

**E**ligat sibi quisque de ipsis tribus quam voluerit. Qui praeter istas esse voluerit, in membris Christi esse non dispónit. Non dicant conjugatæ: Nos ad Christum non pertinémus: habuerunt maritos sanctæ feminæ. Non se extollant Virgines. Quantò magnæ sunt, humiliant se in omnibus: omnia exempla salutis propórita sunt ante oculos nostros. Nemo exorbitet: si pudicitiam conjugalem queris, habes Susanam; si vidualem, habes Annam, si virginalem, habes Mariam.

## IN III. NOCTURNO.

*Pf.* Exaudi, Deus, depreciationem. *Fer.* vj. ad Offic. Noct. *Pf.* Quam bonus. integer. *Fer.* ij. ad Nonam. *Pf.* Misericordiam. *Fer.* iiiij. ad Offic. Noct.

## LECTIO viij.

Lectio sancti Evangeli secundum Lucam.

*Cap.* 10.

**I**n illo tempore; Intravit Jesus in quoddam castellum: & mulier quædam, Martha nōmine, excépit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib.* 1. *Comment.* in *Luc.* n. 9.

**E**st nonnunquam in intentione plus quam in actione, aut plus in actione quam in intentione, ut in Evangelio cernimus inter sanctam Mariam & Martham fuisse distantiā. Alia enim verbum audiēbat: alia festinabat circa ministerium. Quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quod dereliquit me soror mea solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Et dixit illi Dominus: Martha, Martha, María optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ergo in altera intentionis studium, in altera actionis ministerium redundabat. Utrique tamen utriusque virtutis studium suppetebat; siquidem & Martha, nisi audisset verbum, ministerium non subiisset: & María tantum gratiae de utriusque retulit perfectione virtutis, ut ungeret pedes Iesu, & tergeret capillis, & totam dominum suæ fidei odore compleret. Ideo ergo utriusque virtutis plenitudo querenda est.

## LECTIO viij.

*Lib.* 7. num. 84.

**R**eligiosa mentis intentione Dei verbo, si cum fide congruat, etiam ipsis operibus antefertur, juxta

quod & h̄c scriptum est : María óptimam sibi partem éligit , quæ non auferétur illi . Studcámus & nos habére quod nemo nobis pos- sit auferre ; non ut perfunctória , sed diligens audiéntia deferátur . Solent enim étiam ipsius sémina verbi cœlestis auferri , si fecus viam sint seminata . Agat te , sicut Mariam , defidériū sapientiæ ; hoc enim majus , hoc perfectiōnis opus ; nec ministérii cura cognitionem verbi cœlestis avertat ; nec árguas eos , aut otiosos iudices quos vides studere sapientiæ . Hanc enim sibi cohabitatem Sálomon ille pacificus adscivit .

## LECTIO ix. n. 86.

**N**Ec Martha tamen in bono ministério reprehénditur ; sed María quod meliorem partem sibi elegerit , ante fertur . Iesús enim multis abundat , & multa largitur : & idèò sapientior quis judicatur , quia quod principale advertit , éligit . Dénique & Apóstoli óptimum non putaverunt relinquare Dei verbum , & ministrare mensis . Sed utrumque munus sapientiæ est : nam & Stéphanus plenus sapientiâ minister electus est . Et idèò qui ministrat , doctóri déferat ; & ministrantem doctor invítet & pròvocet . Unum enim est

corpus Ecclésiæ , et si diversa membra , & alterum altero eget . Non potest dicere oculus manui : Opera tua non desidero ; aut iterum caput pédibus , aut auricula se negare esse de corpore . Nam et si alia principalia , tamen alia necessaria . Sapientia in capite , actus in manibus . Oculi enim sapientis in capite ejus ; quia ille verè sapit , cuius animus in Christo est , & cuius interior oculus erigitur ad superna . Et idèò sapientis oculi in capite ipsius ; stulti autem in calcaneo .

## AD LAUDES.

## CANTICUM. Prov. 31.

**O**S suum apéruit sapientiæ (Múlier fortis , ) \* & lex clementiæ in lingua ejus .

Considerávit sémiras domus suæ , \* & panem otiosa non comédit .

Surrexerunt filii ejus , & beatissimam prædicavérunt ; \* viri ejus , & laudávit eam .

Multæ filiæ congregavérunt divítias : \* tu supergressa es universas .

Fallax grátia , & vana est pulchritúdo : \* múlier timens Dóminum ipsa laudabitur .

Date ei de fructu manuum suarum ; \* & laudent eam in portis ópera ejus .

A D V E S P E R A S.

*Psf. Ad te levávi. è Vesp.  
Fer. iv. Ps. Nisi quia Dómi-  
nus. Fer ij. ad Vesp. Ps.  
Psf. Laudáte, pueri. ibid.  
Beati omnes. Sabb. ad Vesp.*

## D I E O C T A V A.

IN III. NOCTURNO.

*LECTIO vij.*

Léctio sancti Evangélii se-  
cundum Lucam. c. 13.

**I**N illo tempore; Dixit  
Iesus: Cui simile æsti-  
mabo regnum Dei? Simile  
est fermento quod accep-  
tum mulier abscondit in  
farinæ fata tria. Et reli-  
qua.

Homilia sancti Joannis  
Chrysostomi.

*Serm. 99.*

**C**ui simile, inquit, æst-  
timabo regnum Dei? Sic  
dicendo appendit  
ánimos auditórum, & attónitos reddit stupore toto;  
quid regno Dei, quid im-  
pério divíno váleat compa-  
rári? Atque illis mente per-  
multa & magna pervagán-  
tibus cœli Dóminus, in  
hospítio páuperis, in ma-  
nu panicoctrícis mulieris  
regni sui invenit & format  
exemplum, dicendo: Simile  
est regnum cœlorum  
fermento quod acceptum  
mulier abscondit in farinæ  
mensuris tribus, donec fer-  
mentatum est rotum. Ante  
regnum suum grano finápis  
comparábat; nunc illud  
efficit simile fermento. An-

tè finápis granum mémorat  
accépisse vírum, mulierem  
nunc ásserit accepisse fer-  
mentum. Dicit ante exí-  
guum semen vírum seuisse  
in magnæ árboris incre-  
mentum, mulierem modo  
fermentum breve ad prosec-  
tum totius massæ abscon-  
disse manifestat. Verè sicut  
dixit Apóstolus Paulus, ne-  
que vir sine muliere, neque  
mulier sine viro in Dómino.  
Ad unum regnum diversum  
sexum vária similitúdo per-  
dúcit; neque vírum sépa-  
rat à muliere vocatio chris-  
tiána, quos Deus conjun-  
git, natúra sóciat, ac mira  
similitúdine similes reddit  
habitus, spécies única com-  
pónit.

*LECTIO viii.*


**S**ed quare has similitúdi-  
nes regni sui, Dóminus  
per vírum prodúcit & fémi-  
nam? Quare majestátem  
tantam tam vílibus, tam  
dispáribus format exem-  
plis? Fratres, pretiósū  
latet in hac vilitate mysté-  
rium, dicente Apóstolo: *Mystérium hoc magnum  
est; ego autem dico in  
Christo, & in Ecclésia.*  
Comparatiōnibus istis hu-

máni géneris negotium géritur principale; per virum & féminam mundi causa séculis tractata finitur. Adam primus homo, muller prima Eva, ab árbore scientiæ boni & mali ad Evangélici sinapis árborem deducuntur; ut óculos quos illecebrósa arbor aperiendo cláuserat, sinapis arbor grani sui collyrio & acritudine ipsâ, dum claudit, aperíret; ut ora quæ venenósa áboris gustus infécerat, salutáris arbor flámmeo gustus sui sapore sanáret, & ista arbor igneo pastu suo conscientiam toto conversatiónis suæ ardóre succéderet, quam frigidam illa toto jam rigóre perfécerat. Neque híc jam vel alget, vel confunditur nuditas, ubi hóminem totum tegit vénia, fidei facit calére vestitus.

#### LECTIO ix.

**S**ed hoc per granum finapis quod accéperat vir, confertur féminæ. Quid ve-

rò per fermentum quod accépit muller, conferatur hómini, follicitius perscrútetur. Simile est, inquit, regnum Dei fermento quod acceptum muller abscondit in farinæ mensúris tribus. Muller accépit à Deo fermentum fidei, quæ accéperat à diábolo perfidiæ fermentum: abscondit in mensúris tribus, hoc est in tribus hóminum tempóribus, quod est ab Adam usque ad Noë, à Noë usque ad Móysen, à Móyse usque ad Christum; ut muller quæ corfúperat fermento mortis in Adam totam massam géneris humáni, fermento resurrectionis totam carnis nostræ massam redintegráret in Christo; ut muller quæ confécerat panem gémitus & sudoris, panem vitæ cōqueret & salutis, & esset omnium viventium mater vera per Christum, quæ erat in Adam mater omnium mortuorum.



# IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

*ANNUALE-MINUS.*

[Ipso die Dedicationis

*ANNUALE-MAJUS].*

**I**N I. VESPERS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* Cernitis quod Dóminus. i. D. minus Deus vester vobis cum sit: præbete igitur corda vestra, ut queratis Dóminum; & consurgite, & ædificare sanctuarium Dómino. i. *Paral.* 22.

*Ant. 7. d.* Domus quam ædificari volo Dómino, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessaria. i. *Par.* 22.

*Ant. 5. C.* Magnus est Deus noster super omnes deos: quis ergo poterit prævalere, ut ædificet dignam Deo domum? 2. *Paral.* 2.

*Ant. 6. C.* Si cœlum & cœli cœlorum capere cum néqueunt, quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? 2. *Par.* 2.

*Ant. 3. a.* Dóminus Deus cœli ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum. i. *Ezdr.* 1.

**C**APITULUM. *Agg.* 1.  
**H**æc dicit Dóminus exercituum: Pónite corda vestra super vias vestras: af-

cendite in montem, portate ligna, & ædificare domum; & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dóminus.

*R.* Cuncta, Dómine, quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt; & quæ de manu tua accépimus, dédimus tibi: \* Dómine Deus noster, † Omnis hæc cōpia quam parávimus, ut ædificaretur domus nōmini sancto tuo, de manu tua est. *V.* Quis prior Dómino dedit, & retribuētur ei? Ex ipso sunt ómnia: ipsi glória in sécula. \* Dómine. Glória. † Omnis. Repet. *R.* usque ad *V.* i. *Par.* 29. *Rom.* 11.

**H Y M N U S.**

**E**cce sedes h̄ic Tonantis,  
Ecce cœli jānua:  
H̄ic sacerdos, ara, templum,  
H̄ic Deus fit hōstia:  
Incruentâ morte jugis  
H̄ic amor litat Deum.

**Q**UALIS ara, quanta sedes  
Ipsi⁹ capax Dei!  
Quem nec universa terra,  
Omne nec cœlum capit,  
Orbe parvo se coarctans,  
H̄ic latere sustinet.

**QUAM** libenter h̄c pudicis

Inserit se cōrdibus !  
H̄c amantis tota Christi  
Exerit se cāritas :  
H̄c Pater caros sedēre  
Gestit inter filios.

**HINC** facelē quem pro-fāna

Pólluit contágio ,  
Neu sacrum transire limen  
Inquinátus áudeas :  
Ultor astat cum flagellis  
Púniens fontes Deus.

SIT perennis laus Parenti,  
Sit perennis Fílio :  
Laus tibi qui nectis ambos ,  
Sit perennis Spíritus ,  
Chrisma cuius nos ínungens  
Viva templa cónsecrat.

Amen.

¶. Fundáatur exultatióne  
universæ terræ mons Sion.  
¶. Deus in dómibus ejus  
cognoscétur. *Ps. 47.*

*Ad Magnificat.*

*Ant. 4. D. Duplicanda.*  
Domus mea ædificabitur in  
Jerúsalem , & consolábitur  
adhuc Dóminus Sion , &  
éliger adhuc Jerúsalem  
*Zach. 1.*

*Coll. ut infrà ad Laud.*  
*Fit Comm. Sabbati ante*  
*Dom. occurr.*

**AD COMPLETORIUM.**

*Psalmi de Feria.*

*Ant. 6. F.* Sint óculi tui  
aperti super domum hanc  
nocte ac die , Dómine , ut  
exáudias deprecationem pô-  
puli tui. *3. Reg. 8.*

*In fine Hymnorū;*

**D O X O L O G I A ,**

SIT laus. ut infrà ad Ho-  
ras.

*Ad Nunc dimittis.*

*Ant. 5. a.* Implébo do-  
mum istam gloriâ , & in  
loco illo dabo pacem.

*Agg. 2.*

**AD NOCTURNUM.**

*INVIT.* Dóminum in tem-  
plo sancto suo , \* Venite ,  
adórémus. *Habac. 2.*

*Ps. 94. Venite.*

**H Y M N U S .**

**Q**uisquis ô sacram prô-  
peras ad ædem ,  
Dirigat gressus pietas fides-  
que ;  
Regis hæc regum domus &  
Tonantis

Altera sedes.

NON malos ultor venit  
inter ignes :  
Non nigrâ nimbi tonat è  
procellâ :

Nec minus credas plácido  
verenda

Númine templi.

**Q**UID vetus fluxit cruor  
hostiárum  
Pristinæ cessent holocausta  
legis :

Ipse libamen Deus & Sacer-  
dos

Se litat atis.

**Q**UID venis audax ? pro-  
cul hinc profanus ;  
Sancta ni fletus lavat unda  
crimen :

Munda quām multis jubet  
esse mundum  
Yocibus ædes !

Quæ tibi fumant, Deus  
alme templis,  
Thura, jucundo plâceant  
odore  
Et pluant pingues resoluta  
lætis  
Nûibus imbræ.  
Amen.

**I N I. N O C T U R N O.**  
*In Ps. 5. Verba mea.*  
*Feriâ IV. ad Laudes.*

*Ant. 6. F. Salvabit Dóminus Deus gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.*  
*Zach. 9.*

*In Ps. 23. Dómini est terra. Feriâ tertia ad Laudes.*

*Ant. 7. d. Glória Libâni véniet ad ornandum locum sanctificationis meæ, & lumen pedum meorum glorificabo.* *Is. 60.*

*In Ps. 25. Júdica me, Dómine. Feriâ III. ad Tertiâ.*

*Aut. 2. D. Dabo sanctificationem meam in medio eorum, & erit tabernaculum meum in eis.* *Ezech. 37.*

¶ Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: ¶ In domum Dómini ibimus. *Ps. 121.*

### LECTIO i.

De Libro secundo Paralipómenon. *cap. 7.*

**C**um complexset Sálomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, & devorávit holocausta & victimas: & majestas Dó-

mini implévit domum; nec pôterant sacerdôtes ingredi templum Dómini, cò quod implesset majestas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Israel vidébant descendente m̄ ignem, & gloriā Dómini super domum: & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lâpide, adoravérunt & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in séculum misericordia ejus. Rex autem & omnis populus immolabant victimas coram Dómino. Macrátavit igitur rex Sálomon hóstias; boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: & dedicávit domum Dei rex, & universus populus.

¶ Non mansi in domo usque ad diem hanc, dicit Dóminus; sed fui semper in tentorio manens cum omni Israël: \* Nunc igitur dedi locum populo meo, plantábitur, & ultrà non commovébitur. ¶ Tabernaculum testimónii fuit cum pátribus in deserto usque in diébus Dívid: Sálomon autem ædificávit Dómino domum: \* Nunc igitur. *Paral. 17. Act. 7. [Ipso die Dedicationis, dicitur Glória ad singula regna.]*

### LECTIO ii.

**S**acerdótes autem stabant in officiis suis: & Levítæ in organis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad

laudandū Dóminum : Quóniam in æternum misericórdia ejus ; hymnos David canentes per manus suas. Porrò sacerdótes canébant tubis ante eos , cunctusque Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini : obvilerat enim ibi holocausta & ádipes pacificórum ; quia altáre æneum quod fecerat, non pótterat sustinere holocausta & sacrificia & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in tempore illo septem diébus ; & omnis Israel cum eo , Ecclésia magna valde , ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti. Fecitque die octávo collectam , eò quod dedicasset altáre septem diébus , & solemnitátem celebrasset diébus septem.

*R.* In templo hoc ponam nomes meum in sempiternum , & ultrà non faciam commovéri pedem Iísrael , \* Si tamen custodierint ómnia ópera quæ præcépi eis. *V.* Vos estis templum Dei vivi , sicut dicit Deus : Quóniam inhabitábo in illis , & inambulábo inter eos. \* Si.

4. *Reg. 21. 2. Cor. 6.*

*LITURGIA iij.*

**C**omplevitque Sálomon domum Dómini , & domum regis , & ómnia quæ disposerat in corde suo , ut fáceret in domo Dómini , & in domo sua ; & prosperatus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte ,

& ait : Audívi orationem tuam , & elégi locum istum mihi in domum sacrificii. Si cláusero cœlum , & pluvia non flúixerit ; & mandávero & præcépero locustæ ut dévoret terram ; & misero pestiléntiam in populum meum : conversus autem populus meus , super quos invocatum est nomen meum ; deprecátus me fuerit , & exquisierit faciem meam , & égerit pénitentiam à viis suis péssimis ; & ego exaudiam de cœlo , & propitius ero peccatis eorum , & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti , & aures meæ erextæ ad orationem ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum , ut sit nomen meum ibi in sempiternum , & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diébus.

*R.* Elégi locum istum mihi in domum sacrificii : \* Oculi quoque mei erunt aperti , & aures meæ erextæ † Ad orationem ejus qui in loco isto oráverit. *V.* De omni re quamcumque petierint fiet ; ubi enim sunt duo vel tres congregati in nōmine meo , ibi sum. \* Oculi. Glória. Repet. *R.* usque ad *V.* 2. Paral. 7. *Matt. 18.*

*IN II. NOCTURNO.*

*In Ps. 28. Afferte Dómino. Sabbato ad Tertiam.*

*Ant. 1. f. Sanctificávi*

Hocum hanc quam ædificasti, ut pónerem nomen meum ibi in sempiternum.

**3. Reg. 9.**

*In Ps. 45. Deus noster. Sabbato ad Sextam.*

*Ant. 5. a. Sanctificabitur altare in gloria mea: sanctificabo & tabernaculum cum altari, & habitabo in medio filiorum Israel. Exod.*

**29.**

*In Ps. 47. Magnus Dominus. Sabbato ad Sextam.*

*Ant. 4. f. Scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. Ezech.*

**37.**

*¶. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: ¶. Deus in medio ejus. Ps. 45.*

#### LECTIO IV.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

*Serm. 1. de Dedicatione.*

**F**estivitas hodierna, fratres, tanto nobis debet esse devótior, quanto familiárior est. Nam ceteras quidem Sanctorum solemnitätes cum Ecclesiis aliis habémus communes: hæc verò sic nobis est propria, ut necesse sit, vel à nobis eam, vel à némine, celebrári. Nostra est, quia de Ecclesia nostra: magis autem nostra, quia de nobis ipsis. Mirámini fórsitan; & erubescitis celebrári festa de vobis. Sed quid lápides isti potuerunt sanctitatis ha-

bére, ut eorum solémpnia celebrémus? Habent úti que sanctitatem, sed propter corpora vestra. An verò corpora vestra sancta esse quis dubitetur, quæ templum sancti Spíritus sunt; ut sciat unusquisque vas suum poscidere in sanctificatione? Itaque sanctæ sunt animæ propter inhabitantem Spíritum Dei in vobis: sancta sunt corpora propter animas: sancta est etiam propter corpora domus.

*R. Mactavit hóstias, & dedicavit domum Dei rex, & universus populus; Sacerdotes autem stabant & Levitæ ad laudandum Dominum: \* Quóniam in æternum misericordia ejus.*

*¶. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret: \* Quóniam. 2. Par. 7. Ephes. 5.*

#### LECTIO V.

**Q**uando domus ista per manus Pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est. In nobis proinde spirituáliter impleri necesse est, quæ in pariétibus visibiliter præcessérunt. Et si vultis scire, hæc útique sunt; aspersione, inscriptio, inluctio, illuminatio, benedictio: hæc quidem in hac visibili domo fecré Pontifices; hæc & Christus assistens Póntifex futurorum bonorum invisi-

biliter quotidie operatur in nobis. Aspergit nos hyssopo, ut mundemur, lavemur, dealbemur: lavat nos in confessione; lavat nos lacrymarum imbre; lavat sudore penitentiae: magis autem lavat nos aqua illa pretiosa quae de fonte pietatis, id est, ab eis latere, emanavit. Non solum autem, sed inscribit digeito Dei in quo ejiciet dæmonia, haud dubium quin in Spíritu sancto. Inscríbit, inquam, legem suam, non in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promissionem, quæ se pollicitus est ablatum cor lapideum, & carneum cor esse datum, id est, non durum, non obstinatum, non Judaicum; sed pius, sed mansuetus, sed tractabile, sed devotum. Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.

¶. Móyses tabernaculum & omnia vasa ministerii aspersit; & omnia in sanguine secundum legem mandantur: \* Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari; ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quam istis. ¶. Tulit Móyses unctionis óleum, quo linivit tabernaculum cum omni suppelleibili sua: obtulit & vitulum pro peccato. \*Necesse est. *Hebr. 9. Levit. 8.*

*LECTIO vii.*

**B**ÉATI, inquam, qui docti & mémores sunt mandatorum ejus, sed ad faciendum ea: alioquin scienti bonum & non facienti, peccatum est illi; & servus sciens voluntatem domini sui & non faciens, plagis vapulabit multis. Unde necesse est utunctionis spirituialis gratiae adjuvet infirmitatem nostram, observantiaram & multitudinem penitentiae cruces devotionis suæ gratiæ linens; quia nec sine cruce sequi Christum, nec sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset. Hinc est quod multi abominantur & fugiunt penitentiam, crucem quidem videntes, sed non unctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam Spiritus adjuvantis, suavis & delectabilis est penitentia nostra, &, ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. At postquam unctionis gratiae hujus præcesserit, jam lucernam suam Christus non ponit sub modo, sed super candelabrum; quia tempus est ut liceat lux nostra coram hominibus. Jam vero benedictionem quidem expectamus in fine, quando apriret manum suam, & implabit omne animal benedictione: nam in quatuor præmissis merita constant,

in benedictione sunt præmia, in benedictione tota complébitur grātia sanctificationis, quando jam in domum transibimus non manufactam, aeternam in cœlis. Ipsa est quæ construitur vivis ex lapidibus, angelis scilicet & hominibus. Simul enim ædificatio, & dedicatio ipsa complébitur.

*R. Cùm intulisset Móyses arcam in tabernáculum, posuit & mensam, & candelábrum è régione mensæ, \* Juxta præceptum Dómini. V. Lucernam ponunt super candelábrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt: sic luceat lux vestra coram hominibus, \* Juxta. Glória. Repet. *R. usque ad**

*V. Exod. 40. Matth. 5.*

**I**N III. NOCTURNO.

*In Ps. 64. Te decet hymnus. Feriâ IV. ad Laudes.*

*Ant. 1. g. Majestas Dómini implévit domum; nec pótenter Sacerdótes ingredi domum Dómini, eò quod impleset majestas Dómini templū Dómini. 2. Paral. 7.*

*In Ps. 83. Quam dilecta, Feriâ V. ad Laudes.*

*Ant. 6. F. Verè Dóminus est in loco isto: quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Genes. 28.*

*In Ps. 86 Fundamenta. Sabbato ad Sextam.*

*Ant. 3. c. Ipse qui habet in cœlis habitacionem, visitator & adjutor est loci;*

& venientes ad malefaciendum pércurit ac perdit. 2. Mach. 3.

*V. Dómine, quis habitabit in tabernáculo tuo? R. Qui ingréditur sine mácula, & operatur justitiā. Ps. 14.*

*LECTIO vij.*  
*Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum. c. 21.*

**I**N illo tempore; Cùm intrasset Jesus Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicabant: Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum Dei. Et reliqua.

*Homilia sancti Basílii Episcopi. In Ps. 28. Ed. Bc. ned. 1721. num. 3.*

**N**Ecessaria est adoratio, non ea quæ fit extra Ecclesiā, sed quæ in ipsa Dei aula perficitur. Ne mihi privatas aulas aut ecclēsias excogitatis. Una est aula sancta Dei. Synagoga Iudeorum prius aula erat: sed post admissum in Christum peccatum, facta est habitatio eorum deserta. Quapropter & Dóminus: Et alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Cùm autem loquatur de iis qui ex Géntibus ad salutem præordinati sunt, aulam propriam præter Iudeorum aulam ostendit. Non igitur extra hanc aulam adorare oportet, sed intrà ipsam; ne quis extra ipsam constitū-

tus, aut ab iis qui extra illum sunt, attractus, in aula Dómini esse désinat. Intersunt enim multi in hábitu quidem precatiónis; nec sunt tamen in aula ob mentis evagatióne, & ánimes eórum aberratióne, ex vanis ac inutilibus curis nascéntem. Qui ventrem, aut glóriam, aut argenteum, aut quidvis aliud quod réliquis omnibus pluris aestimat, deum fécerit, is neque adorat Dóminum, neque in aula sancta est; etiam si videátur esse dignus, qui ad sensibiles conventus admittátur.

**R.** Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabellum pedum ejus, quóniam sanctum est: adoráte in monte sancto ejus. \*Quóniam sanctus Dóminus Deus noster. **V.** Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíitu & veritáte; nam & Pater tales quærít qui adórent eum; \* Quóniam. *Ps. 98. Joann. 4.*

*LECTIO viij. n. 7.*

**I**N templo astant sancti Angeli: adest Dóminus: qui ánimag ingrediéntium intuétur. Preces uniuscujusque manifestæ Deo sunt, quis ex affectu, quis scité exquirat cœlestia; quis perfunctoriè & extrémis labris verba pronuntiet, cor vero ipsius procul à Deo sit. Quod si orat, carnis sanitatem, opesque terrestres, & humánam glóriam unicè efflá-

gitat. Horum autem nihil petendum est, ut Scriptura docet: sed in templo ejus unusquisque dicit gloriam. Creatura omnis tum filens, tum loquens, tum cœlestis, tum terréna, dat gloriam Conditori: miserables vero homines, postquam, ædibus suis relictis, ad templum concurrerunt, quasi quidpiam consecutiri emolumenti, tamen Dei verbis aures non præbent, suam ipsorum natúram non sentiunt: præoccupati peccato, non affliguntur: non mœrent, dum reminiscuntur peccatorum: non timent judicium; sed aridentes, & inter se jungenentes dextras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitatis vertunt.

**R.** Qui adhærent Dómino ut colant eum, & diligant nomen ejus, lætificabo eos in domo orationis meæ; \* Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis **V.** Nolite facere domum Patris mei, domum negotiatiónis. \* Quia, *Is. 56. Joann. 2.*

*LECTIO ix. de Evang.  
& Homil. Dominica occurrentis.*

**R.** Tu, Dómine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitacionis tuæ fieri in nobis: \* Et nunc, Sancte sanctorum, Dómine, † Conserva in aeternum impollutam domum i-

tam. **V.** Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; Templum enim Dei sanctum est. \* Et. Glória. **†** Conserva. Repet. **R.** usque ad **V.** 2. *Mach.* 14. 1. *Cor.* 3.

Te Deum.

**V.** *SACERD.* Cantáte Dómino canticum novum: **R.** Laus ejus in Ecclésia sanctórum. *Pf.* 149.

### A D L A U D E S.

*Psalmi de Dominica.*

**Ant.** **D**omus Dei est Ecclésia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. *I.* *Tim.* 3.

**Ant.** 4. **E.** Christi domus sumus nos, si fiduciam & gloriām spei usque ad finem firmam retineámus. *Hebr.* 3.

**Ant.** 8. **c.** Ad Dóminum accedentes, lápidem vivum & electum, & ipsi tanquam lápides vivi superaedificámini, domus spírituális. *I.* *Petr.* 2.

### CANTICUM, *Tob.* 13.

**J**erúsalem cívitas Dei, luce spléndidâ fulgébis, \* & omnes fines terræ adorábunt te.

Nationes ex longinquo ad te vénient: & múnera deférentes adorábunt in te Dóminum, \* & terram tuam in sanctificationem habébunt;

Nomen enim magnum \* invocábunt in te.

Maledicti erunt qui contémperint te; & condemná-

ti erunt omnes qui blasphemáverint te; \* benedictique erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætaberis in filiis tuis; \* quóniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dóminum.

Beati omnes qui diligunt te; \* & qui gaudent super pacem tua.

Anima mea, bénedic Dóminus; \* quóniam liberavit Jerúsalem civitatem suam à cunctis tribulatiōnibus ejus Dóminus Deus noster.

Beatus ero si fuerint reliquiae séminis mei \* ad vindicandam claritatem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalem ex sapphíro & smaragdo ædificabuntur; \* & ex lápide pretiolo omnis circuítus murorum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus stercentur: \* & per vicos ejus Alleluia cantabitur.

Benedictus Dóminus qui exaltávit eam; \* & sit regnum ejus in sécula seculorum super eam. Amen.

**Ant.** 5. **a.** Omnis ædificatio constructa in Christo Je-su, crescit in templum sanctum in Dómino; in quo & vos coædificámini in habitaculum Dei in Spíitu. *Ephes.* 2.

**Ant.** 1. **a.** Dei ædificatio estis, fundamentum pósui; unusquisque videat quómodo superaedificet; fundamentum enim Christus Je-sus. *I. Cor.* 3.

**CAPITULUM.** 1. Cor. 6.

**A**N nescitis quoniam  
membra vestra tem-  
plum sunt spiritus sancti qui  
in vobis est, quem habetis  
a Deo, & non estis vestri?  
Empti enim estis pretio ma-  
gno, glorificate & portate  
Deum in corpore vestro.

**H Y M N U S.**

**P**ATRIS aeterni Sobiles  
coava,  
Dum tuæ sacros pia plebs  
honores  
Ædis instaurat, Deus al-  
me nostris  
Annue votis.

**H**IC sacri fontis latices ab  
ortu  
Inditi purgant maculam  
reatus:  
Hic & infusum nova  
membra Christo  
Chrisma coaptat.

**H**IC suâ pascit populos fi-  
deles  
Carne, qui mundi scelus  
omne tollit  
Agnus & fusi pretium  
cruoris  
Ipse propinat.

**H**IC salus ægris animis pa-  
ratur:  
Hic reos Judex facilis re-  
laxat,  
Atque lethalem rediuviva  
pellit  
Gratia culpam.

**C**UIUS in cœlo thronus est  
perennis,  
Incolit parvam Deus al-  
tus ædem:  
Hic adorator sibi quisque  
sedem

Præparat astris.

NULLUS hanc turbo quatit,  
irruentis,  
Nulla vis nimbi, rapidive  
fluctus:  
Cedit hanc contra furor  
inferorum  
Irritus omnis.

**L**AUS Deo, virtus, honor,  
& potestas  
Una sit Patri, parilique  
proli:  
Par sit amborum tibi ne-  
xus omni,  
Spiritus, ævo. Amen.

**V.** Domum tuam decet san-  
ctitudo, Dómine, **R.** In lon-  
gitudinem diérum. **P.** S. 92.  
*Ad Benedictus.*

**A**nt. 7. a. *Duplicanda.*  
Domus tua, Dómine, in  
sanctificatione tua permá-  
neat; & omnes gentes ag-  
noscent quia tu es Deus, &  
non est aliis præter te. *Ju-  
dith.* 9.

**C**OLLECTA. Orémus.  
**D**eus, qui nobis per sin-  
gulos annos hujus sancti Templi tui consecrationis  
réparas diem, & sacrис sem-  
per mystériis repræsentas  
incolumes: exaudi preces  
populi tui, & præsta ut  
quisquis hoc Templum be-  
neficia petiturus ingreditur,  
cuncta se impetrasset laté-  
tur; Per Dóminum.

[ *Ipsa die Dedicationis Ec-  
clesiae, & per Octavam.*

**C**OLLECTA. Orémus.  
**D**eus, qui invisibiliter  
omnia contines, &  
tamen pro salute generis hu-  
mani

Gloriā signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis: Templum hoc majestate tuæ inhabitationis illustra; & concéde ut omnes qui huc deprecatūri convéniant, de quacumque tribulatiōne ad te clamáverint, consolationis tux beneficia consequantur; Per Dóminum.]

*Fit Com. Dom. occur.*

**A D H O R A S,**  
*Psalmi de Dominica.*

*In fine Hymnorūm,  
DoxoLOGIA:*

Sit laus Patri, laus Fílio,  
Par sit tibi laus, Spíritus,  
Divina cuius únctio  
Nos templa Christo cónse-  
crat. Amen.

**A D P R I M A M.**  
*Ant. 3. a. Domus Dei.*

*Non dicitur Symbolum  
Quicumque.*

*In r. br. v. Qui magnificas in nobis \* locum tuum  
& Templum. 2. Mach. 3.*

**C A N O N.**

Ex Concilio Parisiensi sexto.

*Ann. 829. lib. 1. c. 11.*

**Q**via Pontifices Basílicas  
Deo dédicant, ut omnes qui illuc deprecatūri véniunt, de quacumque tribulatiōne ad eum clamáverint, consolationis ejus beneficia consequantur; oportet ut, remoto negligētiæ torpore, hujusmodi loca ad cum exorandum, sibique propitiūm faciendum, fre-

*APPA.*

quenter ac devotè ádeant (Christiāni;) dignosque se aspēctibus Angelorum, quorum conventus mínimè ibi adesse dubitantur, exhibeant.

**A D T E R T I A M.**

*Ant. 4. E. Christi domus.*

**C A P I T U L U M.** *Hebr. 10.*

**H**abentes, fratres, fidúciā in introitu sanctórum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est carnem suam, & Sacerdótem magnum super domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei.

[*Post Septuages. omittitur Alleluia in r. r. r. br.*]

**r. br.** In multitúdine misericordiæ tuæ \* introibo in domum tuam. \* Alleluia alleluia. In, v. Adorábo ad templum sanctum tuum \* in timore tuo. \* Alleluia. Glória. In. *Ps. 5.*

**v.** Introibo in domum tuam in holocaustis: **r. Redam** tibi vota mea. *Ps. 65.*

**A D S E X T A M.**

*Ant. 8. c. Ad Dóminum.*

**C A P I T U L U M.** *Levit. 26.*

**P**onam tabernáculum meum in médio vestrī, & non abjiciet vos áнима mea: ambulábo inter vos, & ero Deus vester, vosque éritis populus meus.

**r. br.** Beatus \* quem ele-  
gisti & assumpsti. \* Alle-

**K**

lúia, allelúia. Beatus v. In habitábit \* in átriis tuis.

\* All. Glória. Beatus. Ps. 64.

v. Beati qui hábitant in domo tua, Dómine: r. In sécula seculórum laudábunt te. Ps. 83.

## AD NONAM.

*Ant. 1. a. Dei.*

## CAPITULUM. 2. Cor. 6.

**S**cimus quóniam si terres-tris domus nostra hujus habitationis dissolvátur, quòd ædificationem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes.

r. br. Replébimur \* in bonis domus tuae. \* Allel. all. Replébimur. v. Sanctum est templum tuum, \* mirá-bile in æquitáte. \* Allelúia. Glória. Replébimur. Ps. 64.

v. Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine, vir-tutum! r. Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómíni. Ps. 83.

## AD II. VESPERAS.

In Ps. 121. Lætátus sum.

Fer. 3. ad Vesp.

*Ant.* Dóminus in templo

2. D. sancto suo: sileat à facie ejus omnis terra.  
*Habac. 2.*

In Ps. 126. Nisi Dómi-nus. Fer. 4. ad Vesp.

*Ant. 3. a.* Ergone credíbi-le est ut hábitet Deus cum

homínibus super terram!

2. Paral. 6.

In Ps. 131. Memento cum sua divis. Sabb. ad Vesp.

*Ant. 4. A.* Si Cœlum & Cœli cœlorum non te cápiunt, Dómine, quanto magis domus ista? 2. Paral. 6.

In Ps. 136. Super flumi-na. Fer. 2. ad Vesp.

*Ant. 1. D.* Sint oculi tui, Dómine, aperti super do-mum hanc nocte ac die. 3. Reg. 8.

In Ps. 147. Lauda, Jerú-salem. Fer. 5. ad Laudes.

*Ant. 6. F.* Quicumque oráverit in loco isto, exaudi de habitáculo tuo, & pro-pitiáre. 2. Paral.

CAPITULUM. 2. Paral. 20.

**D**ómine Deus patrum nostrorum, stábimus coram domo hac in conspe-ctu tuo, in qua invocátum est nomen tuum: & clamá-bimus ad te in tribulatiōni-bus nostris & exáudies, salvosque fácies.

Allelúia, allelúia. v. Qui statis in Domo Dómini, in átriis Dóminus Dei nostri; Benédicte Dóminum. Alle-lúia. Ps. 133.

[Post Septuages. omisso Allelúia cum v. dicitur r. 9. Officii Noct. ]

HYMNUS, Ecce sedes, ut in I. Vesp. Festi. 207.

v. In templo Dómino-nes dicent gloriām; r. Dó-minus benédicet pópolo sua in pace. Ps. 28.

**Feriâ secundâ intra Octav. Dedicationis.** 215

**Ad Magnificat.**

*Ant. s. C. Duplicanda.*

**Confessio & magnificentia**  
coram eo: fortitudo & gáudium in loco ejus: leváte sacrificium & venite in confectu ejus: & adoráte Dóminum in décore sancto: & dicat omnis pôpulus: Amen. 2. *Paral.* 16.

*Coll. ut suprà ad Laud.*

*Fit Comm. Dom. occurr.*

**AD COMPLETORIUM.**

*Psalmi & Capit. de Dominica. Cetera ut heri.*

**D I E B U S  
INTRA OCTAVAM  
S E M I D U P L E X .**

*Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.*

*Psalmi de Feria, in toto Officio.*

**AD NOCTURNUM.**

*Tres Ant. v. & R R R ex Noct. Festi juxta Feriam.*

*Lectio i. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; ij. & iij. ut habentur infrà pro qualibet die. Si occurrat Semiduplex, aut Simplex, iij. Lectio erit de Festo.*

**AD LAUDES.**

*Ant. sola. s. a. Omnis ædificatio constructa in Christo Jesu, crescit in templum sanctum in Dómino; in quo & vos coædificámini in habitaculum Dei in Spíritu. Ephes. 2.*

CANTICUM, Jetúalem.  
ut suprà, 215.

**A D H O R A S .**  
*Dicitur Allel. in R R R brev. nisi occur. Septuages.*

**A D V E S P E R A S .**

*Ant. sola. 4. E. Unus de septem Angelis sustulit me in spíritu, & ostendit mihi civitatem sanctam Jerúalem descendenter de cœlo à Deo. Apoc. 21.*

**FERIA SECUNDA  
INTRA OCTAV. DEDICAT.**

*Lectio ij.*  
Sermo sancti Augustini Episcopi. Serm. 336. in Dedic. tom. 5.

**C**élébritas hujus congregatiōnis, dedicatiō est domus oratiōnis. Domus ergo nostrarū oratiōnum ista est; domus Dei, nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc século ædificāmur, ut in fine séculi dedicémur. Ædificium, imò ædificatiō habet laborem, dedicatiō exultatiōnem. Quod hic fiébat, quando ista surgébant; hoc fit modò, cùm congregantur credentes in Christum. Credendo enim, quasi de sylvis & móntibus ligna & lápides præciduntur. Cùm vero catechizantur, baptizantur, formantur; tanquam inter manus fabrōrum & opificum dolantur, collineantur, com-

planantur. Verum tamen dominum Domini non faciunt, nisi quando caritate compaginantur.

## LECTIO iii.

**L**igna ista & lāpides si non sibi certō ordine cohārērent, si non se pacificē innēcerent, si non se īvicem, cohārēndo sibi, quodam modo amārent, nemo huc intrāret. Dénique quando vides in aliqua fābrica lāpides & ligna bene sibi cohārēre, secūrus īeras, ruīnam non times. Vōlens ergo Dōminus Christus intrāre, & in nobis habitare, tanquam ædificando dicēbat: Mandātum novum dō vobis, ut vos īvicem diligātis. Mandātum, inquit, novum dō vobis: vēteres enim erātis, domum mihi nondum faciebātis, in vēstra ruīna jacebātis. Ergo ut eruāmini de vestrā ruīna vētūstāte, vos īvicem amāte,

FERIA TERTIA  
INTRA OCTAV. DEDICAT.

## LECTIO ii.

De Sermōne sancti Augustini Episcopi. *Unde supra.*

**D**um novam constrūctionem sanctae hujus Ecclēsiæ libenter attēndimus, quam divino nōmini hodie dedicāmus; invenimus à nobis debéri, & Deo nostro maximam laudem, & sanctitati vestrā cōgruum

de divinæ domūs ædificatione sermōnem. Tunc autem sermo nōster cōgruuſ erit, si in se aliquid ædificationis hábeat, quod utilitati animarū vestrārum, Deo vos intēriūs ædificante, proficiat. Quod hīc factum corporaliter vidēmus in pariētibus, spirituāliter fiat in mēntibus: & quod hīc perfectum cērimus in lapidibus & lignis, hoc ædificante gratiā Dei, perficiātur in cordibus vestris.

## LECTIO iii.

**P**rincipaliter ergo gratiā agāmus Dōmino Deo nostro, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum: & ejus bonitatē totā cordis alacritatē laudēmus: quoniā ad construendam istam domum orationis, fidēlium suorum visitāvit animum, excitāvit affectum, surrogāvit auxilium; inspirāvit necedum volētibus ut vellent, adjūvit bonæ voluntatis conatus ut fācerent; ac per hoc Deus, qui operātur in suis & velle & perficere pro bona voluntate, hēc omnia ipse cœpit, ipse perfecit. Et quia opera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inānia; fidēlibus suis, quibus operāntibus præbuit virtutis suæ favorem, tribuet dignam pro tanta operatio-ne mercēdem. Adhuc am-

plūis agendæ sunt gratiæ  
Deo nostro ; hanc enim  
Ecclésiam , quam fecit nō-  
mini suo cónstrui , fecit  
étiam sanctórum Mártirum  
reliquis amplius honorári.

---

FERIA QUARTA  
INTRA OCTAV. DEDICAT.

LECTIO ij.

De Sermóne sancti Augustí-  
ni Episcopi.

Serm. 337. de Dedic.

Eccles. cap. i.

**B**ona ópera fidélium de-  
suā temporálī terrenā-  
que substántiā cùm in the-  
sauris cœlestibus recidun-  
tur , fides hoc videt , quæ  
pietatis óculum habet in  
corde. Unde & ista ædifi-  
cia , quæ congregandis re-  
ligiósis cœtibus extruuntur ,  
cùm oculo carnis inspèxe-  
rit , laudat intérius quod  
cernit extérius ; & visibili  
accipit lúmine , ad quod  
gáudeat invisibili veritatē.  
Neque enim occupáta est fi-  
des inspicere quām pulca  
sint membra hujus habita-  
tionis , sed de quanta inte-  
rioris hóminis pulcritudine  
procéndant hæc ópera dilec-  
tionis.

LECTIO iiij.

**R**etribuet ergo Dóminus  
fidélibus suis tam piè ,  
tam hiláriter , tam devótè  
ista operántibus , ut eos quo-  
que ipsos in lux fábricæ  
constructione compónat ,  
quò currunt lápides vivi ,

fide formáti , spe solidáti ,  
caritatē compacti : ubi sá-  
piens ille architectus Apóst-  
tolus fundámentum pósuit  
Christum Iesum , summum  
ípsum lápidem angulárem ;  
sicut & Petrus de prophética  
Scriptúra commémorat , ab  
homínibus quidem repro-  
bátum , à Deo autem elec-  
tum & honorificátum. Huic  
adhærendo , pacámur ; huic  
incumbendo , firmámur.

---

FERIA QUINTA  
INTRA OCTAV. DEDICAT.

LECTIO ij.

De Sermóne sancti Augustí-  
ni, Episcopi. Unde suprà.

**C**hristus simul est & la-  
pis fundámentális , quia  
ipse nos regit ; & angulá-  
ris , quia ipse conjungit.  
Ipsa est petra supra quam  
vir sapiens ædificans do-  
mum suam , contra omnes  
hujus séculi tentationes tu-  
tissimus perséverat ; nec  
pluvia irruente lábitur , nec  
flúmine inundante subvér-  
titur , nec ventis flántibus  
commovétur. Ipse est & pax  
nostra , qui fecit utraque  
unum : in ipso enim neque  
circumcisio quidquam va-  
let , neque præpítium , sed  
nova creatúra. Hi enim duo  
tanquam parietes ex diverso  
venientes , longè ab invi-  
ceme fuerant ; donec ad illum  
tanquam ad ángulum  
ducti , étiam in illo sibimet  
copulati sunt.

*LECTIO iiiij. Cap. 2.*

**I**Taque sicut hoc ædificium visibile factum est nobis corporaliter congregandis; ita illud ædificium, quod nos ipsi sumus, Deo spiritualiter habitaturo construitur. Templum enim Dei sanctum est, inquit Apôstolus, quod etsis vos. Sic ut hoc terrénis mólibus construimus, sic illud bene compósitis móribus erigámus. Hoc enim nunc visitantibus nobis, illud in fine séculi, Dómino veniente, dedicabitur, quando corruptibile hoc nostrum induet incorruptionem, & mortale hoc nostrum induet immortalitatem; quia corpus humiliatis nostræ conformábit corpori gloriæ suæ.

---

**FERIA SEXTA  
INTRÆ OCTAV. DEDICAT.***LECTIO iiij.*

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

*Hom. 33. in Matth.*

**C**ommúnis ómnium dominus est Ecclésia, in quam vobis priùs ingressis, nos intrámus, discipulórum formam retinentes: ideoque communiter ómnibus, statim atque ingressi fuérimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offérimus. Nemo igitur socordiâ tórpreat, nemo seculáribus rebus suspensum ánimum hábeat, cùm jam ad prædicandum

Sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei imminet poena. Evidem millies pótius malim in domum alicujus vestrûm ingressus destitui, quām híc prædicans non audíri. Hoc mihi moléstius esset quām illud; quandòquidem hæc magis propriè domus nostra est, quām illa.

*LECTIO iiiij.*

**H**IC magnæ illæ nostræ opes pósitæ sunt, híc spes nostra omnis. Quid enim hoc loco non magnum est & admirandum? Nam hæc mensa longè pretiosior est atque jucundior; & lucerna hæc quām illa, ut norunt qui cum fide óleo peruncti, a morbis liberati sunt. Arca etiam hæc multò melior, magisque necessaria. Non enim vestes, sed misericordiam inclúsam continet; quamvis pauci sint qui eam possideant. Hic & lécitulus est valdè illo prætantior; divinárum enim Scripturárum réquies quovis lecto suávior est.

---

**SABBATO  
INTRÆ OCTAV. DEDICAT.***LECTIO iiij.*

De Sermone sancti Joannis Chrysostomi.

*Hom. in Vidi Dóminum.*

**C**UM ánni divitias concidero in vobis augescere, gáudeo semper, ut qui non frustrà semeantem

**E**cce enim, ut qui non incalsum labores pertulerim. Unde igitur hoc lucrum conjicio, unde perspicio sermones ad opus proficere? Nimirum, ex hoc concursu; ex eo quod Ecclésiam omnium matrem studiōse amplectimini; ex hac pernocte perpetuaque statióne; ex eo quod angelicorum ordinum statóinem imitantes, sine cessatione laudes & hymnos offertis Condítori. O mira Christi dona! In supernis exérctitus Angelorum canunt glóriam: in terris, hómines in Ecclésiis choros agentes, ad illórum exemplum eamdem canunt glóriam. In supernis, Séraphim ter sanctum illum hymnum résonant: in terris, eamdem hóminum promit multitudo, communiterque, tum cœlestium, tum terréstrium plaudit célebritas.

## LECTIO iii.

**N**ulla res tantum affert gáudii vitæ nostræ, quantum hoc, quod ex ánimō gaudétis in Ecclésia congregári. In Ecclésia, gaudéntium conservátur gáudium. In Ecclésia, ánimō dejectórum est recreatio. In Ecclésia, doléntium est voluptas. In Ecclésia defatigatórum est respiratio. In Ecclésia, laborántium est réquies. Venite enim, inquit, post me, qui laboratis & onerati estis; & ego refi-

ciam vos. Quid hâc voce potest esse desiderabilius? quid hâc invitatione jucundius? Ad épulum te vocat, qui in Ecclésiam te vocat.

VESPERÆ de sequenti.

---



---

O C T A V A  
D E D I C A T I O N I S.

D U P L E X - M A J U S .

## IN I. V E S P E R I S.

*Psalmi de Sabbato.*

*Ant.* **E**cce ego creo cœri. f. **E**los novos, & terram novam, & non erunt in memória prióra. *Is. 65.*

*Ant.* 7. d. Gaudébitis usque in sempiternum in his quæ ego creo; quia ecce ego creo Jerúsalem exultationem & pôpulum ejus gáudium. *Is. 65.*

*Ant.* 5. C. Exultábo in Jerúsalem, & gaudébo in pôpulo meo; & non audiétur in eo ultrà vox fletus & vox clamoris. *Is. 65.*

*Ant.* 6. F. Gáudium & lätitia inveniétur in Sion, gratiarum áctio, & vox laudis. *Is. 51.*

*Ant.* 4. A. Hæreditábunt eam electi mei, & servi mei habitábunt ibi. *Is. 65.*

CAPITULUM. *Apoc. 21.*

**V**idi sanctam civitatem Jerúsalem novam, descendentem de cœlo à Deo parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

**R.** Fáciet Dóminus in monte hoc convívium pínguium : præcipitábit mortem in sempiternum , \* Et áuferet lácrymam ab omni fácie . **V.** Mors ultrà non erit , neque luctus , neque clamor , neque dolor erit ultrà . \* Et áuferet. Glória . Et. *Is. 35. Apoc. 21.*

## HYMNUS.

**U**RBS beáta , vera pacis  
Víso Jerúsalem !  
Quanta surgit ! celsa saxis .  
Cónditur vivéntibus :  
Quæ polívit , hæc coaptat  
Séibus suis Deus .

SINGULIS ex margarítis  
Singulæ portæ nitent :  
Murus omnis fulget auro ,  
Fulget uniónibus :  
Anguláris petra Chtistus  
Fundat urbis mœnia .

EJUS est sol cæsus Agnus ,  
Ejus est templum Deus ;  
Æmulantes híc beáti  
Purióres Spíritus ,  
Laude jugi Numen unum  
Terque Sanctum cóncinunt .

UNDEQUAQUE sunt aperta  
Civitatis óstia :  
Quisquis ambit huc venire ,  
Inferique mœnibus ,  
Antè duris híc probári  
Débuit labóribus .

SIT perennis laus Parenti ,  
Sit perennis Fílio :  
Laus tibi qui nectis ambos ,  
Sit perennis Spíritus ,  
Chriema cujus nos ínungens  
Viva templo cónsecrat .

Amen .

**V.** Dóminus in templo

sancto suo : **R.** Dóminus in cælo sedes ejus . *Pf. 10.*

*Ad Magnificat.*

*Ant.* J. Novos cœlos , & novam terram , secundum promissa Dómini expectámus in quibus justitia hábitat . *2. Petr. 3.*

*Coll. ut infrà ad Laud.**Fit Commemoratio Dominica occurrentis.*

## AD COMPLETORIUM.

*Ut in Feso Dedicat. 208.*

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invit. & Hym. ut in Feso. 208.**Psalmi de Dominica , & sic ad omnes Horas .*

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 1. g. Venérunt stru-  
ctores tui , Sion : destruen-  
tes te , & dissipantes à te exi-  
bunt . *Is. 49.*

*Ant.* 2. D. Ecce in máni-  
bus meis descripsi te : muri  
tui coram oculis meis sem-  
per . *Is. 49.*

*Ant.* 3. c. Ego sternam  
per ordinem lápides tuos ;  
& fundábo te in sapphíris .  
*Is. 54.*

**V.** Fundáatur exultatiōne  
universæ terræ mons Sion ;  
**R.** Cívitas Regis magni .  
*Pf. 47.*

*Lectiones de Script. occurrente.*

**R.** j. Lauda , Jerúsalem ,  
Dóminum ; lauda Deum .

tuum, Sion: quóniam confortávit seras portárum tuárum. \* Benedixit filius tuis in te. ¶ Confitére Dómino in bonis tuis, & bénedic Deum, & gáudeas in ómnia sécula seculórum. \* Benedixit. *Ps. 147. Tob. 13.*

*Rg. ij.* Deus salvam fáctet Sion; & inhabitábunt ibi; \* Et hæreditáte acquírent eam. ¶ Non intrábit in eam, nísi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. \* Et. *Ps. 68. Apoc. 21.*

*Rg. iii.* Pópulus tuus omnes justi in perpétuum hæreditábunt terram, \* Germen plantariónis meæ, opus manús meæ ad glorificandum. ¶ Vocábunt eos pópulus sanctus redempti à Dómino. \* Germen. Glória. \* Germen. *Is. 60 & 62.*

## IN II. NOCTURNO.

*Ant. 5. a.* Ponam univer-  
flos filios tuos doctos à Dó-  
mino; & multitúdinem pa-  
cis filiis tuis. *Is. 54.*

*Ant. 8. G.* In justitia fun-  
dáberis: à calúmnia non  
timébis; & à pavore, quó-  
niam non appropinquábit  
tibi. *Is. 54.*

*Ant. 4. E.* Habitábunt in  
te filii tui, & laudábunt Dó-  
minum. *Is. 62.*

¶. Jerúsalem ædificátur  
ut cívitas; *Rg.* Cujus parti-  
cipatio ejus in idipsum. *Ps.*  
**221.**

## LECTIO. iv.

Ex Enarratióne sancti Au-  
gustini Episcopi in Psal-  
mum octogésimum sex-  
tum. *Edit. Bened. n. 1.*

**C**ivitas quædam in isto  
Psalmo cantára &  
commendáta est, cu-  
jus cives sumus, in quan-  
tum Christiáni sumus; &  
unde peregrinámur, quādi-  
u mortales sumus; & ad  
quam tēndimus. Rex ip-  
sius civitatis se fecit viam,  
ut ad civitatem pervenirē-  
mus. Ambulantes ergo in  
Christo, & adhuc peregrin-  
antes donec perveniámus,  
& suspirantes desidério cu-  
jusdam ineffabilis quiétis,  
quæ hábitat in illa civitatis,  
de qua quiéte dictum est  
hoc nobis esse promissum,  
quod oculus non vidit, nec  
auris audívit, nec in cor  
hominis ascendit: ambu-  
lantes ergo, sic cantémus,  
ut desiderémus. Nam qui  
desíderat, et si lingua tá-  
ccat, cantat corde: qui au-  
tem non desíderat, quólibet  
clamóre aures hominum  
fériat, mutus est Deo.

*Rg.* Quando véniam, &  
apparébo antè faciem Dei?  
\* Hæc recordátus sum, &  
effudi in me ánimam meam:  
quóniam transíbo in locum  
tabernáculi admirabilis, us-  
que ad domum Dei. ¶. Ocu-  
lus non vidit, nec auris au-  
dít, nec in cor hominis  
ascendit, quæ præparávit  
Deus iis qui diligunt illum.

\* Hæc recordatus sum. *Ps. 41. 1. Cor. 2.*

*LECTIO v.*

**T**Anquam jocundatòrum ómnium habitatio in te. In peregrinatiōne ista contérimus: habitatio nostra, jocunditas sola erit. Peribit labor & gémitus, tránscurrunt oratiōnes, succéidunt laudatiōnes. Ibi ergo habitatio jocundatòrum, non erit gémitus desiderantium, sed lātitia perfruentium. Aderit enim cui modò suspiramus: similes ei érimus, quóniam vidébimus eum, sicuti est. Ibi totum negotiū nostrum, non erit nisi laudare Deum, & frui Deo. Et quid aliud quærēmus, ubi solus sufficit, per quem facta sunt ómnia? Habitábimur & habitábimus: subjicientur illi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

**R.** Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei: \* Sicut lātantium, ómnium habitatio est in te. **V.** Absterget Deus omnem lácrymam ab oculis eorum. \* Sicut. *Ps. 86. Apoc. 21.*

*LECTIO vi.*

**B**ÉATI ergo qui hábitant in domo tua. Unde báeti? In sécula séculórum laudabunt te. Hoc uno báeti otioso negotio. Hoc ergo unum desiderémus, fratres, cùm venérimus ad hoc, nos parémus gaudere ad Deum, laudare Deum. Opera bona

quæ modò nos perdúcunt, non ibi erunt. Non ibi erunt ópera misericordiæ, ubi nulla erit miséria. Egentem non invénies, nudum non invénies, nemo tibi occurret sítiens, nullus peregrinus erit, nullus ægrotus que n visites, nullus mórtuus quem sepélias, nullus litigatórum inter quos pacem compónas. Magna ibi quies. Nam ibi ómnia ópera quæ necessitas flágitat, subtrahentur; mórtuā necessitate, péribunt ópera necessitatis.

**R.** Non esúrient, neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol: quia\* Miserátor eórum reget eos, & † Ad fontes aquarum potabit eos. **V.** Beáti qui esúriunt & sítunt iustitiam, quóniam ipsi saturabuntur. \* Miserátor. Glória. † Ad. *Is. 49. Matth. 5.*

**I N III. NOCTURNO.**

**Ant. 6. F.** Ipsa cívitas aurum mundum; & funda-  
menta muri civitatis omni  
lápide pretioso ornata. *Ap.*  
**21.**

**Ant. 7. d.** Non eget sole,  
neque lunâ ut líceant in ea,  
nam cláritas Dei illuminávit eam, & lucerna ejus est Agnus. *Apoc. 21.*

**Ant. 2. D.** Hæc verba si-  
delíssima sunt & vera: Qui  
vicerit, possidébit hæc. *Ap.*  
**21.**

**V.** Ædificávit Déminus

Sion ; **R.** Et vidébitur in glória sua. *Ps. 101.*

**LECTIO viij.**

Léctio sancti Evangélii secundum Joannem.

*Cap. 10.*

**I**N illo tempore ; Facta sunt Encænia in Jerosólymis ; & hyems erat : & ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

*Expos. in Evang. Joan.*

**E**ncænia vocabátur sōlemnitas dedicatiónis templi , quām pôpulus Dei ex antiqua patrum traditione per annos singulos celebrare consuéverat. Sed notandum est quòd hæc Encænia quæ híc leguntur , non ad primam templi dedicatiómem , sed ad ultimam périnent : quòd ex eo fáciè collígitur , quia Hyeme facta referuntur. Prima síquidem ejusdem templi dedicatió à Salomónē , tempore Autumni ; secunda autem à Zoróbabel & Iesu sacerdóte , tempore Veris ; tértia à Juda Machabæo , tempore Hyemis est facta ; quando spciáliter constitutum esse lègitur , ut éadem dedicatió per omnes annos in memoriā solémnibus renovarétur officiis , quæ étiam ad tempus usque Dominiæ Incarnatiónis observata fuit , sicut modò , cùm legerétur Evangélium ,

audívimus. Quæ étiam dedicatió salubri consuetudine in Ecclésiis Christi servári moderno tempore dignoscitur.

**R.** Non audiétur iniquitas in terra tua , vástitas & contrítio in téminis tuis :

\* Occupábit salus muros tuos , & portas tuas laudatio. **V.** Omne maledictum non erit amplius sed sedes Dei & Agni in illa erunt , & servi ejus sérvient illi. \* Occupábit. *Is. 60. Apoc.*

22.

**LECTIO viiij.**

**E**T ambulábat Jesus in pórticu Salomónis. Si Dei Filius ambuláre voluit in templo , in quo caro & sanguis brutórum animálium offerebátur ; multò magis nostram oratióni do-  
mum , ubi carnis ipsius ac sanguinis sacramenta cele-  
brantur visitare gaudébit. Si perambuláre non despe-  
xit pórticum in quo rex quondam mortális ac terré-  
nus , quamvis potentissimus ac sapientissimus , ad oran-  
dum stare solebat ; quantò magis penetrália cordium nostrorum invísere atque il-  
lustráre desíderat : si tamen ea pórticum esse Salomónis ,  
hoc est , si eatimórem suum , qui est initium sapiéntiae ,  
habére perspéxerit ?

**R.** Non erit tibi sol ad lucendum per diem , nec splendor lunæ illuminabit te : \* Sed erit tibi Dóminus

in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. ¶ Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minueretur. \* Sed erit. *If. 60.*

*Lectio nona de Homilia & Evangelio Dominice occurrentis.*

*R. Inebriabuntur ab ubertate domini tuæ, Domine: \* Et torrente voluptatis tuæ potabis eos: † Quoniam apud te est fons vitae. ¶ Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes. \* Et Glória. † Quoniam. Ps. 35. Apoc. 7.*

Te Deum.

¶ *SACERD.* Cantáte Dómino canticum novum,  
¶ *Laus ejus in Ecclésia sanctórum. Ps. 149.*

### AD LAUDE S.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* **V**ocabitur Jerusalæ.  
**I. a.** **V**alem Cívitas veritatis, & mons Dómini exercituum, mons sanctificatus.  
*Zach. 8.*

*Ant. 3. a.* Vénient & laudabunt in monte Sion: & populus meus bonis meis adimplébitur, dicit Dóminus. *Jerem. 31.*

*Ant. 2. D.* Dicent cum convertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Dóminus, pulcritudo justitiae, mons sanctus. *Jerem. 31.*

*CANTICUM, Jerusalæ, ut in Feste suprà. 215.*

*Ant. 6. F.* Beati omnes qui diligunt te, cívitas Dei, & qui gaudent super pacem tuam. *Tob. 13.*

*Ant. 7. d.* Qui dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni, sunt ante thronum Dei, & servit in eis die ac nocte in templo ejus. *Apoc. 7.*

**CAPITULUM.** *Apoc. 19.*

**V**Ox de throno exiit dicens: Laudē dícite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timétis eum pusilli & magni. Et audívi quasi vocem dicentium: Alleluia; quoniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens.

**HYMNUS, PATRIS aeterni, ut in Feste suprà. 216.**

¶ *Vox exultationis & salutis. R. In tabernaculis iustorum. Ps. 117.*

*Ad Benedictus.*

*Ant. 4. E.* Benedictus es, Dómine, in templo sancto gloriæ tuæ, & superlaudabilis, & superexaltatus in secula. *Dan. 3.*

**COLLECTA.** Orémus.

**D**eus, qui nobis aeterna supernæ Jerusalæ gaudia per temporalem hujus sancti templi tui solemnitatem adumbrare voluisti; fac nos, quæsumus, ita diligere decorem domini tuæ, ut & ipsi templum gratiæ tuæ in terris, & locus habitacionis gloriæ tuæ fieri mereamur in cœlis; Per.

*Fit Comm. Dom. occurrentis.*

**A D H O R A S.**  
**DOXOLOGIA ut in die**  
**Festī. Psalmi de Dominica.**

**A D P R I M A M.**

*Ant.* 1. a. Vocabitur.

*In r̄. br. v̄.* Qui magnificas in nobis \* locum tuum & templum. 2. *Mach.* 3.

**C A N O N.**

Ex Concilio Coloniensi primo.

*Ann.* 1536. part. 9. c. 13.

**S**ignat Templi Dedicatio, tam fidélis ánimæ, quām Ecclésiæ cum Christo desponsationem. Ipsa enim Ecclésia Cathólica, ex multis vivis lapidibus adunata, verum Dei Templum est. Quòd si Dei Templum sumus, altare intus habemus. In hoc altari fit sacrificium laudis. Hinc preces ad cœlum ascendunt: ad cor enim respicit Deus. Quamobrem, nisi ómnia quæ in hujuscemodi concretatione extérius aguntur, in nobis spirituáliter impleantur, parùm hinc fructus nobis accéserit.

**A D T E R T I A M.**

*Ant.* 3. a. Vénient.

**CAPITULUM.** *Isai.* 51.

**V**énient in Sion laudantes; & lètitia sempiterna super capita eorum; gaudium & lètitiam tenébunt, fugiet dolor & gémitus.

[ *Post Septuagesimam*  
*omittitur Alleluia in r̄. br.*  
*brev. Horarum.* ]

*r̄. br.* Fluminis ímpetus lætitiat civitatem Dei. \* Alleluia, alleluia. Fluminis. *v̄.* Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. \* Alleluia. Glória. Fluminis. *Pf.* 45.

*v̄.* Exultabunt sancti in gloria; *r̄.* Lætabuntur in cubilibus suis. *Pf.* 149.

**A D S E X T A M.**

*Ant.* 2. d. Dicent.

**CAPITULUM.** *Sophon.* 3.

**L**AUDA, filia Sion; júbila, Israel: lætare & exulta in omni corde, filia Jerusalēm: abstulit Dóminus iudicium tuum, avertit inimicos tuos: Rex Israel Dóminus in medio tuū: non timēbis malum ultrā.

*r̄. br.* Rogáte \* quæ ad pacem sunt Jérusalēm. \* Alleluia, alleluia. Rogáte. *v̄.* Et abundántia \* diligētibus te. \* Alleluia. Glória. Rogáte. *Pf.* 121.

*v̄.* Pósuit fines tuos pacem; *r̄.* Et ádipe frumenti satiat te. *Pf.* 147.

**A D N O N A M.**

*Ant.* 7. d. Qui dealbaverunt.

**CAPITULUM.** *Apoc.* 3.

**Q**ui vicerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egrediétur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei,

& nomen civitatis Dei mei,  
novae Jerusalēm, quæ des-  
cendit de cœlo à Deo meo.

*R. br.* Semen servorum  
ejus \* possidébit eam. \* Al-  
lelúia, allelúia. Semen. *V.*  
Et qui diligunt nomen ejus  
\* habitábunt in ea. \* Allel.  
Glória. Semen. *Pf. 68.*

*V.* Beáti qui hábitant in  
domo tua, Dómine; *R.* In  
sécula seculórum laudábunt  
te. *Pf. 83.*

## AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* **U**nus de septem An-  
4. E. **U**gelis sustulit me in  
spíritu, & ostendit mihi ci-  
vitatem sanctam Jerusalēm  
descendentem de cœlo à  
Deo. *Apoc. 21.*

*Ant.* 8. G. Ista quæ sur-  
sum est Jerusalēm, libera  
est, quæ est mater nostra.  
*Gal. 4.*

*Ant.* 2. D. Non habémus  
hīc manentem civitatem,  
sed futuram inquirimus.  
*Hebr. 13.*

*Ant.* 6. C. Solūmmodo ibi  
magnificus est Dóminus no-  
ster. *Is. 33.*

*Ant.* 3. a. Dóminus Dens  
omnipotens templum illius  
est, & Agnus. *Apoc. 21.*

CANTICUM. *Apoc 21.*

**E**cce tabernáculum Dei  
cum homínibus, & ha-  
bitabit cum eis: & ipsi pópu-  
lus ejus erunt, & ipse Deus  
cum eis, erit eórum Deus.

*HYMNUS, URBS beáta.*  
*ut in die Festi suprà.* 224.

*V.* Quàm dilecta taber-  
nácula tua, Dómine, virtú-  
tum! *R.* Concupiscit & dé-  
ficit áнима mea in átria Dó-  
mini. *Pf. 83.*

*Ad Magnificat.*

*Ant.* 7. G. In hoc inge-  
míscaimus, habitatiōnem  
nostram, quæ de cœlo est  
superíndui cupientes; si ta-  
men vestiti, non nudi in-  
veniámur. 2. *Cor. 5.*

*COLLECTA, ut suprà ad*  
*Laudes.*

*Fit Comm. Dom. occur-  
rentis.*

## AD COMPLETORIUM.

*Ut in die Festi.* 208.

**IN FESTO, VEL IN ANNIVERSARIO  
DEDICATIONIS ECCLESIAE**

TEMPORE PASCHALI,

*Additur unicum Alleluia in fine Antiphonarum & Invitatoriis; duplex verò in fine Rerum.*

**AD NOCTURNUM**, Ant. Psalmi, v. & Rerum è III. Noct.

*LECTIO i. De libro secundo Paralipómenon. p. 209.*

*LECTIO ii. de Evangelio & Homil. p. 213.*

*LECTIO iii. de Homil. & Evangelio Dominicæ occurrentis.*

**INTRA OCTAVAM**, tres Psalmi ut notantur in Proprio de Tempore sub una ex tribus Antiphonis è III. Nocturno Festi, secundum Feriam.

**IN DIE OCTAVA.** Ant. v. & Rerum è III. Noct.

*LECTIO i. de Scriptura occurrente.*

*LECTIO ii. de Evangelio & Homil. p. 226.*

*LECTIO iii. de Evangelio & Homil. Dominicæ.*



# I N D E X.

	Página.
<b>G</b> Alendarium Gregorianum perpetuum.	1
Rubricæ Generales Breviarii.	35
Series Titulorum Canonum.	60
Festum & Octavae Patroni Primarii seu Titularis.	63
SS. Trinitatis.	71
Compassionis B. M. Virginis.	76
Pontificatus seu Cathedræ S. Petri.	78
Conversionis S. Pauli.	82
S. Joseph.	84
Inventionis S. Crucis.	87
S. Joannis Baptiste.	92
SS. Apost. Petri & Pauli.	102
Commemorationis S. Pauli.	106
S. Mariae Magdalenes.	108
SS. Joachim & Annæ.	112
S. Petri ad Vincula.	116
Transfigurationis Domini.	120
S. Ludovici.	126
Exaltationis S. Crucis.	132
S. Michaelis.	134
SS. Angelorum.	139
S. Martini.	ibid.
S. Joannis Apost. & Evang.	140
Commune Festorum B. M. V.	146
Commune Patronorum.	154
Pro Apostolo.	ibid.
Pro uno Martyre.	157
Pro pluribus Martyribus.	163
Pro Pontificibus.	168
Pro Doctoribus.	174
Pro Presbyteris.	180
Pro Abbatibus, Monachis & Solitariis.	185
Pro Justis.	191
Pro Virginibus.	196
Pro Mulieribus.	201
Dedicatio, seu Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum.	207

*F I N I S.*

